FORTVNATI CRELLII INSTITVTIO LOGICA:

In eorum vſum conſcripta, qui & breuem, & perfectam Logicen expoſcunt.



HAEDELBERGAE,
Typis Abrahami Smeſmanni,
Impenſis Henrici Auena.
cIↃ. IↃ. XIC.

PP. Erraru Camald in Insula Vigrensi

MAGNIFICO ET NOBILI VIRO, IVSTO REVBERO: Palatini Electoratus Cancellario: Domino & Mæcenati ſuo

FORTVNATVS CRELLIVS

S. P. D.

NOn ignoras, Reubere, Vir Magnifice, permagnum Logices vſum in omnibus diſciplinis eſſe, eamque in precio ſemper apud omnes Sapientes fuiſſe. Nam quot Sapientiſsimorum hominum in omni genere monumenta, quot tum felices, tum infelices,

prisco illo & nostro sæculo, cum aduersariis concertationes, tot huius rei argumenta & rationes. quod cùm tu mature intelligeres: sic ad Iuris studium accessisti: vt, præter singularem naturæ bonitatem, etiam artem illam adferres, sine qua ne vsum quidem Iuris, etsi contra Tullius fecit, vlli concesserim. quæ deinde res ad hoc dignitatis fastistigium, in quo te merito suspicimus & veneramur, euexit, & ad maiora, si benè auguror, euehet.

De Logices itaque tum vtilitate, tum necessitate, nullum planè dubium, nullum

lum itidem, quòd ea diligenter adoleſcentes ſint imbuendi. de delectu disceptatur. Ego ſua cuique opinione relicta, verum & optimum iudico quod primum eſt & antiquiſſimum. nec id ſine ratione. Cùm enim res paſſione prior ſit, veritas errore: non poteſt non optimum eſſe quod eſt antiquiſſimum. Quia verò primum & antiquiſſimum quod à Natura, Naturæque Opifice fluxit: age, an hæc noſtra eius modi ſint, paucis diſpiciamus.

Certum eſt, Logici finem eſſe ratiocinari: quem ad modum Grammatici ſer-

mocinari. Ratiocinatio Syllogiſmi eſt, qui vnus concludendi vim habet: Syllogiſmus ex enunciatis eſt: enunciatum è ſubiecto & attributo: quæ Genera ſunt, Species, Differentiæ, Propria, Accidentia, ſecundarum notionum notæ, & è primis, quæ decem Categorijs continentur, procreatæ, in quibus etiam ſuam obtinent veritatem.

Primum igitur in vera Logice, quæ Naturæ veſtigia ſequitur, locum Categoriarum ſibi vindicat explicatio: qua docemur, quid Generis, quid Speciei, quid communioris aut anguſtio

ris

ris habeat rationem , quid ſubiici aptum ſit, quid attri- bui Nec quicquam adhuc vidi, quod Categorias è Logicis exterminarit. Categorias Enunciationis doctrina ſequitur: quam Syllogiſmus inſequitur. Syllogiſmi cognitio, ſicut vnius cuiusque rei, in duobus conſiſtit, in naturæ & proprietatum explicatione : quarum illa ſtructuram expoſcit, inuentionē, analyſin. Sicut enim neque ſtructuræ ratio ſine inuentione, neque hęc abſque illa ſufficit, ad Syllogiſmum generādum : ita quoque hæc ambo absq; tertia analyſi nō ſufficiunt ad ple-

nam Syllogiſmi diiudicationem.

Ex his nō obſcurè liquet, Inuentioni primum in Logicis locum non deberi: ad Syllogiſmum, tanquam ſummum Logices finem, omnia dirigi.

Sed ſimplicia quoque & ſimplices notiones, ſententiæ ſiue concluſionis, partes, inueniendas eſſe dicūt: ſimplici expoſitione, definitione, diuiſione, doceri dicunt: quorum illud primum Inuentioni locum arrogare videtur, hoc verò ſummum & adæquatum Syllogiſmo finem derogare.

At non ita Natura, ſecus res habet. Simplex expoſitio Grammaticorum eſt: diuiſio exigua, Ariſtotele teſte, Syllogiſtici artificij particula. ad Syllogiſmum igitur & ipſa refertur: quem etiā definitio ſpectat: quia partim ſitu à demonſtratiuo Syllogiſmo discrepans: partim principium illius aut concluſio. Et quod nam tandem, quæſo, docendi inſtrumentum fuerit definitio, cùm ne enunciandi quidem vim habeat, nedum probandi, in quo vera docendi ratio conſiſtit?

Quòd ſimplices notiones, concluſionis partes,

ipſam

ipſam deniq; quæſtionem è locis petendam arbitrantur, in eo plurimum à vero abſunt. Simplices notiones vel primę ſunt, vel ſecundæ: quarum illas è rebus mens generat, has ex illis: quod longè diuerſum eſt ab Inuentione.

Ac mirum ſanè, aliquos hodie inueniri, qui ſcribere audēt, non ipſum duntaxat medium, & quod dubiæ quæſtioni fidem facit, ſed ipſam etiam quęſtionem ex locis eſſe petendam. Si enim vel in controuerſias Theologorum, vel in lites Cauſidicorum intuerentur, viderent, quæſtionem & cauſæ

ſtatum non primùm inquiri, ſed ſua ſponte naſci, totam inuentionem in argumentis & rationibus occupari. De quæſtionis inuentione nihil planè Logicus. ſua ſponte ſe offert. de medij inuentione præcipit. Sed hæc aliâs.

In præſentia firmum maneat Syllogiſmum Logices finem eſſe, ad quem cetera cuncta diriguntur. Hic pro rerum natura tripertitus eſt: demonſtratiuus, probabilis, Sophiſticus: de quorum natura non minus diligenter in Logicis eſt præcipiendum, quàm de natura Syllogiſmi generalis.

Neque me mouet, quòd aliqui demõstratiuum Syllogismum in dubium vocant: quòd generalis Syllogismi præcepta sufficere arbitrantur: quòd rectum sui & obliqui canonem esse clamitant.

Demonstrationes enim non prius nobis eripient, quàm res affectionibus suis & principiis spoliẽt. Specierum verò tractationem, in primis doctrinam Elenchorum, superfluam tũc ostendent, vbi captiones artificiose absque ea diluent.

Ea igitur, quam adumbrauimus, vera Logices est Oeconomia: quam Institu-

tio nostra seruat, Aristotelem secuta, qui Naturam est imitatus.

Tibi vero, nobilissime vir, eam dedicare placuit, quòd hisce studiis ab ineunte ætate delectatus es, & adhuc delectaris: quòd acerrimo iudicio præditus es: quòd vbi tu album ei calculum addideris, non est, cur vllius nigrum extimescat: & tandem vt publici alicuius meę erga te obseruātiæ testimonij prodromus sit. Nam filij tui, Iusti Cunradi, egregiæ indolis pueri, eam esse volo, sed à te prius examinatam, grauissimoque tuo iudicio comprobatam. Acci-

pe itaque nunc quod exiguum est extrinsecus, dum & interiora & exteriora magis niteant. Benè & feliciter cum tota familia Vale: & me tibi commendatum habe. Hædelbergæ, 18. Calendas Quinctileis

cIↃ. IↃ. XIC.

INSTITVTIONIS LOGICAE PARS prior siue communis.

DE NATVRA LOGICES, QVID SIT ET QVOTVPLEX.

CAPVT I.

Logice habitus est organicus: verum à falso discernere potis.

GENVS *Logices habitus organicus est: differentia, verum à falso discernere potis. Habitus Logice dicitur: quia per se, vt in mente & qualitas est, definitur, non qua scripta est: quod illius accidens est. Cur habitu organico definiatur, è differentia perspicuum erit. Differentia à fine petita est. hæc enim instrumentorum ratio est, vt tota eorum essentia in fine consistat. Finis Logices, isq; tum externus, tum generalis, est, inter verum & falsum discriminare, hoc verum, illud falsum esse, probare. fit hoc syllogismo: qui & ipse Logices finis est: sed internus: quia illius opus.*

Hinc obscurum non est, cur Logice habitus organicus, & instrumentum esse dicatur. non enim per se, vt Scientiæ, sed per & propter aliud

expetitur: nec idcirco syllogismum construere discimus, vt illius cognitione contenti simus: sed, vt cognita struendi ratione, syllogismum conficiamus: eoq́, ceu vnica probandi norma & instrumento, hoc verum, illud falsum, hoc rectè, illud non rectè, confirmatum esse monstremus.

Neque verò tunc demum aut solùm, cùm aliquid syllogismo probamus, & Logice vtimur, instrumentum est Logice: sed etiam in se, extra vsum, considerata: quia in hunc finem discitur, in hunc finem à Deo nobis concessa est, vt illius adminiculo, hoc verum, illud falsum esse, probare possimus: quem ad modum securis ad secandum facta est, & idcirco instrumentum aptum ad secandum, siue secet, siue non secet. hoc interest, quòd securis, & id generis instrumenta, instrumentum est corporis, Logice mentis: quo mens vtitur ad verum à falso discernendū: quem ad modum securi manus ad secandum.

Distinguitur in duas partes: in communem, & propriam: quarum vtraq́ue tribus libris absoluitur: Communis libro Categoriarum, Enunciationum, Syllogismi: Propria libro Demonstratiui, Probabilis & Sophistici Syllogismi.

Communis Logices pars dicitur, quæ communia tractat & generalia: cuiusmodi sunt Syllogismus, siue communis illa Syllogismi forma: quæ

res quauis Syllogisticè concludi possunt: Enunciationes, earum proprietates & partes, subiectum, attributum, & denique decem illa summa rerum Genera: è quibus, ceu penu & sylua quadam, subiectum & attributum depromuntur. Propria est, quæ de proprijs & particularibus agit: quia de tribus illis Syllogismi speciebus: de Syllogismo Demonstratiuò & necessario: de Probabili siue Topico: de Sophistico seu fallaci: de quibus peculiares in Logicis conditiones præscribuntur, sine quibus dignosci non possunt, & quæ in rebus absque præceptis Logicis non deprehenduntur.

Cum enim res omnes vel veræ sint, vel falsæ & tum veræ, tum falsæ, duplicis generis: summè & necessariò semperq; veræ: partim veær, partim falsæ, siue probabiles: manifestò falsæ, tectè falsæ, quia fucatæ, veriq; speciem habentes: idcirco tres syllogismi species existunt: Necessarius, Probabilis, Sophisticus Syllogismus: de quorum discrimine & natura in Logicis præcipiendum est: quòd aliæ & aliter affectæ propositiones, quod ex ipsis rebus non discitur, ad syllogismum & conclusionem necessariam, aliæ ad probabilem, ad fallacem aliæ, requirantur. de illo, quod apertè falsum est, præcepta non traduntur: cùm sua sponte deprehendatur.

Ex his constat, rectè à nobis Logicen in has duas partes tribui, in Communem, & Propriam:

& hanc vnam Logices partitionem germanam & naturalem esse : quia quæcunque Disciplina communia, siue generalia, & deinde propria, siue specialia, tractat, ea sua natura in has duas partes distincta est : vt autor est Aristoteles : & demonstrari facilè potest.

lib. 1. phys. cont. 57

DE MATERIA LOGICES, ET DECEM SVMMIS RErum Generibus.

CAPVT II.

PROPOSITVM *Logicus habet opus, Syllogismum: vt eo probet, hoc verum, illud falsum, esse. Ad Syllogismi structuram propositionibus opus est. quapropter ante syllogismum de enunciationibus, earum affectionibus & partibus est præcipiendum. Ac quia enunciationes de rebus fiunt : res autem Categorijs, ceu breui tabella, nobis ob oculos ponuntur: idcirco primò omnium de Categorijs, seu decem illis rerum Generibus, breuiter agendum est in Logicis: vt intelligamus, quæ res quibus communiores sint, vel angustiores: quæ Subiectorum, quæ Attributorum, habeant rationem.*

Diuiditur Categoriarum Tractatus in tres partes: quibus prima definitiones, diuisiones, & regulas quasdam continet, ad Categoriarum intelli-

telligentiam conducibiles: quæ causa est, cur Categorijs sint anteposita: altera Categorias ipsas: extrema ambiguarum quarundam vocum distinctiones: quæ quia simplices voces sunt, cum Categorijs coniunctæ sunt: & quia ad earum cognitionem Categoriarum cognitio confert, idcirco non, vt illæ definitiones, antepositæ, sed Categorijs sunt postpositæ.

DE DEFINITIONIBVS, DIVISIONIBVS ET REgulis illis.

Homonyma dicuntur, quibus nomen duntaxat commune est: quæ verò iuxta illud nomen est essentiæ definitio, ea diuersa est.

Hoc est, Homonyma dicuntur, quæ eodem quidem nomine nominantur: sed præter externum nomen commune nihil habent: quia definitio, qua essentia rei, quam nomen illud denotat, exprimitur, eoq; essentià, vna & eadem illis non competit, sed alia atque alia: idq; propterea, quòd alia atque alia ratione vnum idemq; nomen illis conuenit. Ita viuum & pictum animal, viua & mortua fides, homonyma sunt: quia vtrunque illorum animal, vtrunq; horum fides dicitur: sed aliter viuum, aliter pictum, animal, aliter viua, aliter mortua, fides definitur: quia diuersa eo-

rum essentia. animal itaque, fides, homonymως de istis enunciantur.

Synonyma verò dicuntur, quibus tum nomen commune est: tum quæ iuxta illud nomen est essentiæ definitio eadem.

Hoc est, Synonyma sunt & vocantur, quæ non tantùm idem communeq́; nomen, vt homonyma, habent: sed quæ præterea etiam eãdem essentiam & definitionem habent: quòd nomen eâdem ratione omnibus competat. Sic animal cùm de homine, tum de boue, cane, &c. synonymως dicitur: quia non solùm animal vnum quodque dicitur: sed etiam eâdem ratione: &, vt animalia, eandem essentiam habent eandemq́; definitionem: itaq́; considerata Synonyma sunt.

Paronyma vocantur quæcunque, casu discrepantia, denominationem ab aliquo iuxta nomen habent.

Paronyma seu denominata sunt quæ ab alio denominantur, idemq́; cum eo nomen habent: ita tamen: vt aliter denominati nomen, aliter illius, à quo denominatur, desinat: suntq́; denominata concreta: illa verò, à quibus denominantur, abstracta. Ita iustus à iustitia denominatur, Grammaticus à Grammatice, Logicus à Logice.

Eorum quæ efferuntur quædam con-

coniunctum efferuntur: quędam absque coniunctione.

Coniunctim enunciata efferuntur, vt homo currit: absq; coniunctione, enunciatorum partes, seorsum Subiectum, seorsum Attributum, vt, homo: currit.

Eorum quæ sunt alia quidem de subiecto dicuntur, in subiecto verò nullo sunt: alia cõtrà in subiecto quidem sunt, de subiecto verò nullo dicũtur: alia tum de subiecto dicuntur, tum subiecto insunt: alia denique neque subiecto insunt, neque de subiecto dicuntur.

In subiecto esse illud Aristoteli dicitur, quod, cùm alicui, non vt pars illius, insit, sine illo, cui inest, esse nullo modo potest, nec tamen illius pars est. de subiecto dici, est attributum esse, & de subiecto enunciari. Primi generis secundæ substantiæ sunt, species & genera: alterius, accidentia singularia, vt hic nigror, hæc eruditio: tertij, accidentia generatim accepta: extremi, indiuidua substantiæ.

Cùm alterum de altero, vt subiecto, dicitur, ibi quot de attributo dicuntur, tot de subiecto quoque dicentur.

Docet hæc regula, quæcunq; de subiecto aliquo

dicuntur, enunciatione scilicet Synonyma vt tum nomen attributi, tum definitio subiecto competat (de hac enim enunciatione modò sermo est) eorum attributa omnia, quæ scilicet vicißim synonymως illis attribuuntur, de eodem illo subiecto dici. Sic de Petro homo enunciatur, animal, corpus, substantia: quia qua ratione de Peto homo dicitur: eâdem de homine animal, corpus, substantia, enunciantur.

DE CATEGORIIS IPSIS.

Categoriæ classes quædam sunt, quibus summa rerum Genera, & quæcunque sub illis continentur, comprehenduntur: suntque numero decem: Substantia: Quantitas: Relatio: Qualitas: Actio: Paßio: Quando: Vbi: Situs: Habitus.

DE SVBSTANTIA.

Substantia res est, quæ per se subsistit, & accidentia sustinet; estque vel prima, vel secunda.

Primæ substantiæ sunt substantiæ singulares & indiuiduæ, veluti Petrus, hic homo: secundæ, harum species & genera, homo, animal. Est autem Species simplex & communis quædam natura: quæ Generi subest: & de qua Genus in eo quod quid est enunciatur: estque vel infima & indiuiduis proxima, vt homo, equus, quæ semper & tantùm species est: vel media, & modò speciei,

modò

modò Generis rationem habens, vt animal. Simplex & communis quædam natura species dicitur: quia vnum cum sit, pluribus tamen competit, compluraque sub se comprehendit: sicut homo, seu humana natura, communis omnibus singularibus hominibus est, Petro, Paulo &c. qui omnes homines sunt, & in eâdem specie naturaque conueniunt. Subest Generi: quia Genus Specie communius est: & sicut Species multa sub se indiuidua resque singulares continet; ita Genus plures sub se Species comprehendit. De hac Specie Genus, sicut illa de suis indiuiduis, in eo quod quid est enunciatur; quia pars illius essentialis, naturam illius & essentiam declarans. Quemadmodum ergo Species communis multis indiuiduis natura est: ita Genus communis multis Speciebus natura est: & quemadmodum Species alia infima est, alia media: ita contrà, Genus aliud summum est, quod semper & tantùm Genus est: aliud medium, quod modò Generis, modò Speciei, rationem habet: Speciei, si superius & communius spectetur, vt animal ratione corporis, corporatæque substantiæ, Generis, si inferius & angustius, vt idē animal hominis habita ratione.

Sunt autem primę substantiæ magis substantiæ quàm secundæ: quia ceteris omnibus subsunt: sicut etiam inter secundas Species magis substantiæ sunt quàm Genera.

Natura

Natura substantiæ est subesse, communeque omnium subiectum esse. Hoc substantia ab accidente, hoc prima à secuda differt. Cùm enim prima magis quàm secunda subsit, vt de qua secunda dicitur, de qua prima non dicitur: magis quoque substautia est quàm secunda. Eandem ob causam Species magis substantia est quàm Genus: quia Genere inferior & angustior: quæ idcirco subiectum est, de quo Genus enunciatur, non autem illius attributum.

Summum igitur huius Categoriæ genus, est substantia corporea, materia & forma constans: quæ in animatam & inanimam, vt species, diuiditur: animata rursus in sentientem & non sentientem: sentiens in ratione præditam & ratione destitutam: sub quibus earum indiuidua comprehenduntur.

De Categoriis in Logicis præcipitur, vt ordinem & σχέσιν eorum, quæ Categoriis continentur, intelligamus, quæ scilicet quibus communiora sint & superiora, quæ angustiora & inferiora, quæ Generum, quæ Specierum, rationem habeant, & idcirco quænam in Enuntiationibus subiici apta sint, quæ attribui, seu de illis enunciari. In quauis ergo Categoria tria sunt: summum: infimum: medium. Summum supremum

mum Categoriæ genus est: quo nihil in ea est superius: vt hîc substantia corporea: infimum indiuidua, vt hîc, Petrus, bucephalus, hic equus: in Quantitate, hæc linea: medium, species infima, vt hîc, substantia ratione prædita, siue homo, & deinde species atque genera media inter summum genus, & speciem infimam, vt hîc, substantia animata, sentiens, vel animal: quæ Genera & Species sunt, sed aliter atque aliter considerata.

Commune vnicuique substantiæ est, quod non sit in subiecto.

Adhuc altera huius Categoriæ pars, natura Substantiæ: altera sequitur in proprietatibus. Vniuscuiusque enim rei cognitio in hisce duobus consistit, in naturæ seu essentiæ, & in proprietatum illius cognitione. Est autem proprietas, siue proprium, propriè dictum, accidens: sed eiusmodi accidens, quod formam & essentiam compositi necessariò comitatur: quippe cum qua inexplicabili nexo cohæret. Sic par aut impar se habet ad numerum, circumscriptio ad corpus, vis ad ridēdum ad hominem. Atque hæc causa est, cur hæc proprietas vni tantùm Speciei, & singulis eius indiuiduis & semper insit.

Proprietates Substantiæ sex ab Aristotele percensentur: è quibus sola postrema vera proprietas est: ceteræ vero substantiæ cum aliis rebus communes. Prima igitur, eaque communis, est quòd nulla

nulla substantia in subiecto sit: quòd in subiecto esse solis competat accidentibus. quid verò sit in subiecto esse, declaratum est antè. Communis hæc proprietas est: quia compositæ substantiæ, de qua hîc agitur, cum partibus, è quibus constat, communis.

Competit Substantiis atque differentiis, quòd synonymωs attribuuntur.

Et Substantiæ, puta, secundæ (primæ enim de subiecto nullo dicuntur) & differentiæ, de quibuscunque dicuntur ita dicuntur, vt tum nomen substantiæ & differentiæ illis competat, tum essentia & definitio rei, quæ illo nomine denotatur. Species enim de indiuiduo, vt homo de Petro, (Speciei & Generis eadē ratio) ita dicitur: itemque differentia: sed prout in definitione sumitur & concretum est, non vt abstractum est. Est autem differentia, de qua hîc quidem sermo est, quæ Generi iuncta, Genus ad Speciem restringit, & cum Genere speciem constituit, princeps speciei & compositi pars, quæ idcirco pro tota essentia reputatur.

Hæc non vera substantiæ proprietas est: quia nec omni competit, neque soli: quia tum differentiæ, quæ composita substantia non est, tum accidenti: quod itidem de inferiori synonymωs enunciatur.

Omnis

Omnis ſubſtantia rem ſingularem denotare videtur.

De prima ſubſtantia plana res eſt. Petrus enim rem ſingularem & vnam numero denotat. homo vero, animal, communia, cùm ſint, vnum numero non ſignificant: quæ tamen ipſa quoque ſi voces, non rem ipſam, ſpectes, vnum quiddam ſignificare videntur.

Ineſt quoque ſubſtantiis, quòd nihil eis ſit contrarium.

Contraria dicuntur duæ qualitates oppoſitæ, quæ ſimul conſiſtere nō poſſunt in eodem ſubiecto vt album, nigrum, amarum, dulce. Ita verò ſubſtantiæ, cùm primæ, tum ſecundæ, nihil eſt contrarium.

Subſtantia non videtur magis & minus recipere.

Magis & minus recipere ſubiectum illud dicitur, in quo forma vel qualitas aliqua augeſcit & remittit. Sic homo magis, minúsve ægrotat: hypocauſtum magis minúsve calet. Ita verò ſubſtātia magis & minus non recipit: quia non modò magis, modò minus ſubſtantia eſt. alioquin primæ ſubſtantiæ magis ſubſtātiæ ſunt quàm ſecūdæ.

Cum primis verò proprium eſſe ſubſtantiæ videtur, quod, cùm idem vnumque ſit numero, contrariorum capax ſit.

Sola Substantia est, quæ vna eademque permanens, contrarias recipit qualitates: sed per vices, non simul. Idem enim homo modò valet, modò friget: modò lætatur, modò contristatur. Idem verò numero color candorem & nigrorem non recipit: quia cùm albus color niger fit, idem non permanet. Eadem est ratio ceterorum accidentium.

DE CATEGORIA QVANTITATIS.

Quantitas accidens est, ob quod substantia in partes diuidua est: idque tum ratione magnitudinis, tum multitudinis.

Id est, Quantitas illud est, propter quod substantia, materia & forma constans, vel magna est, longa scilicet, lata, profunda: vel multa. Vtroque modo in partes diuidua est. Quod enim magnum est & longum, id in multas partes breuiores diuidi potest: quod latum est, in multa minus lata: quod profundum, in multa minus profunda. Eodem modo quod multum est, & numerum habet, id numerari potest & in multas vnitates distingui. Quòd ergò substantiæ compositæ, vt aliquot equi tum numerari, tum mensura in minores partes, breuiores, minus latas, minus profundas, distingui possunt, id à quantitate habent: & accidens est, non substantia ipsa.

Est

Eſt autem accidens res, cuius eſſentia eſt ineſſe: quòd abſque ſubſtantia & ſubiecto, velut eruditio abſque homine, nihil ſit: eſtque vel proprium vnius ſpeciei atque ſubiecti, vt par aut impar numeri, vis ad videndum hominis: vel commune pluribus, vt color, morbus: quod iterum geminum eſt: reipſa à ſubiecto ſuo ſeparabile, vt nigror, morbus: non ſeparabile reipſa, vt nigror à coruo, candor à cycno.

Eſt autem Quantitas duplex: continua, & diſcreta. illa eſt, cuius partes communi aliquo termino copulantur: hæc, cuius partes communi aliquo termino non copulantur.

Dicuntur partes rei quantæ, veluti longæ, ſeu lineæ, cõmuni termino copulari, cùm cõtinenter cohærẽt, & inuicẽ nõ ſunt diuiſæ. eſt enim in medio duarũ lineæ medietatum punctũ, quo connectuntur, & vna linea efficiuntur. Ac ſicut lineæ vno communique puncto continuum ſunt & fiunt: ita ſuperficies communi linea, corpus communi eademque ſuperficie, continuum ſunt & fiunt. Diſcretæ Quantitatis, veluti numeri, partes ita non cohærent: ſed inuicem ſunt disiunctæ, vt in denario 1. 2. 3. 4.

Sunt autem quinque cõtinuæ Quantitatis ſpecies: linea, ſuperficies, corpus, tempus, locus: diſcretæ duæ, numerus, oratio.

Linea

Linea ſimplex longitudo eſt absque latitudine. Etſi enim talis linea nulla eſt in natura rerum: mente tamen concipi poteſt. Superficies longitudo eſt, cum latitudine: corpus, longitudo, latitudo & altitudo, ſiue profundum, ſimul: quæ trina dimenſio compoſitæ ſubſtantiæ neceſſarium accidens eſt. Quid tempus, quid locus ſit, in Phyſicis exponitur. Numerus multitudo eſt ex vnitatibus collecta. Oratio, quæ profertur, & quâ ad hanc Categoriam attinet, quanta eſt, quòd aliæ illius ſyllabæ longæ ſint, aliæ breues. discretum quantum eſt: quia partes illius, vocabula, continenter non cohærent.

Summum huius Categoriæ genus Quantitas eſt, prout omnes ſub ſe Quantitatis ſpecies atque genera comprehendit, quæ in continuam & discretam, vt ſpecies, diuiditur, quarum ſpecies, eæque infimæ, ſunt, linea, ſuperficies, corpus, tempus, locus, numerus, oratio, ſingularia duntaxat velut hanc lineam, ſub ſe comprehendentes.

Hæc ex antecedente Categoria intelliguntur.

Quanto nihil contrarium eſt.

Altera huius Categoriæ pars, proprietates. Prima eſt, quòd rei quantæ nihil contrarium ſit. Nam lineæ neque ſuperficies contraria eſt, neque corpus.

neque corpus. ita multum paucum, magnum paruum, reuera contraria non sunt. Sed non solis quantis hæc proprietas conuenit.

Non videtur quantum magis & minus recipere.

Sicut homo alio homine magis nõ est substantia: ita tempus alio tempore magis quantum non est. & sic de ceteris. Commune hoc quãto est cum substantia.

Cum primis autem proprium est quãto, vt æquale & inæquale dicatur.

Quidquid alteri æquale vel inæquale dicitur, id ob quantitatatem, qua præditum est, ita dicitur. Ita centum boues aliĳs centum æquales, ducentis inæquales, dicimus, ob numerum: duos homines, æque longos, æquales, longiorem & breuiorem inæquales, ob longitudinem, & continuam quantitatem. Quem ad modum enim ob qualitatem, colorem, formam, similes dissimilésve res dicuntur: ita propter quantitatem æquales & inæquales. Proprium hoc est solius Quantitatis.

DE CATEGORIA AD ALIQVID SIVE RELATIONIS.

Relata sunt, quorum essentia aliud nihil est, quàm ad aliquid se quodam modo habere.

Vt planior hæc Categoria sit, priusquam definitionem explicemus, discrimen Absoluti & Relati, Relati & Relationis, exponemus.

Differunt Absolutum & Relatum tribus modis: quorum primus est, quòd Absolutum res est per se, cuius essentia nō consistit in collatione cum alio, vt homo, scientia: Relatum verò aliquid per se non est, sed tale quoddam, cuius tota essentia ab alio pendet, & in comparatione consistit, vt pater, filius. Hoc discrimen alia duo consequuntur. Sicut enim Absolutum res quædam per se est: ita per se & sine collatione tum intelligitur, tum definitur, vt homo, scientia: Relatum verò sicut totum in collatione consistit, ita per se, non collatum cum alio, nec intelligi potest, neque definiri. Sicut enim pater, quâ pater est, totam essentiam à filio habet, & non, nisi filij ratione, pater est & dicitur: ita nec intelligi, nisi cum filio collatus, neque definiri potest, nisi filij mentio fiat in definitione.

Porrò Relatum illud est, quod refertur, & cui σχέσις siue respectus, quem vocant, adhæret, seu cuius essentia in respectu ad aliud consistit: estque concretum, non abstractum, vt Pater, filius, dominus, seruus: Relatio verò illud est, quo refertur, hoc est, ordo ille medius inter duo Relata, quo alterum ad alterum refertur, vt dominatus, quo dominus ad seruum, seruitus,

quæ

qua seruus ad dominum, refertur: estque abstra-ctum, non concretum.

Hinc definitio non est obscura. Relata enim, puta, vera & mera Relata, quæ præsentem Categoriam constituunt, sunt, quæ non tantum id quod sunt, aliorum esse dicuntur: sicut fides illius quod fide apprehensum est fides dicitur, quantumuis habitus sit & res absoluta: sed quæ nihil sunt, & essentiam planè nullam habent, nisi quâ cum alijs comparantur: quippe quorum tota essentia in σχέσει *& respectu consistit. Atque hoc est quod in definitione dicitur, Relatorum essentiam nihil aliud, sed hoc ipsum esse, quòd ad aliquid se quodam modo habeant: quia nihil sunt, nisi quatenus alterum ad alterum refertur. Ita tota Patris essentia à filio pendet, filij à Patre: quia Pater pater est ratione filij, quâ filium respicit, filius filius, ratione patris. eadem domini & serui, docentis & discentis & ceterorum omnium id generis, ratio est.*

Qui Philosophum antecesserunt Relata hoc modo descripserunt, Relata esse, quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur: quæ definitio imperfecta est, & plurimum ab Aristotelica, quam explicauimus, discrepans: licet Simplicius etiam eam excusare conetur. Si enim vera perfectaque hæc Antiquorum esset definitio: complura Absoluta, tum qualitates, tum in Cat. teg.

substantiæ, Relata essent. Non solùm enim scientiæ id quod est alterius, rei quæ scitur, scientia dicitur, fides illius, quod fide est apprehensum: sed etiam partes substantiæ id quod sunt aliorum esse dicuntur. ita caput, manus, &c. id quod sunt alterius, illius cuius sunt, caput, manus, esse dicuntur.

Sicut autem omne accidens subiecto eget, vt sit: ita Relatio eodem eget: sed præter subiectũ etiam requirit fundamentum, cuius adminiculo subiecto insit.

Nullum accidens per se & seorsum subsistit, sed omne, quodcunque tandem sit, in subiecto & substantia: cùm illius esse sit inesse. Quia verò Relatio non solùm accidens est: sed etiam infirmum accidens, quod suapte virtute substantiæ inhærere non potest, nisi alio firmiore fulciatur: idcirco, vt sit, non tantùm, substantia & subiecto eget: sed etiam alio firmiore, quàm ipsa sit, accidente: cui, tanquam fundamento, innixa, substantiæ inhæreat. Fundamentum enim non substantia est, sed accidens absolutum: quod fundamentum appellatur, quòd in eo Relatio fundetur, hoc est, in eo tum incipiat, tum verò maximè, quòd ei, ceu fulcro, innitatur. Sicut autem fundamentum Relationis absolutum est: ita terminus illius relatum est, non absolutum: siquidem alterum relatum alterius terminus & finis est: cùm alterum

ad

ad alterum, non vt ad ſubiectum, ſed vt ad terminum, referatur.

Hoc Relationis fundamentum geminum eſt, quantitas, ſiue numerus, & qualitas ſecundæ tertiæque ſpeciei. Exemplis rem declaremus. Duplum & dimidium, velut integra & dimidia panni vlna, par & impar, veluti decem, & deinde nouem boues, Relata ſunt: Relatio ordo ille, quo duplum ad dimidium, par ad impar, refertur. Ineſt hæc Relatio non ipſi proximè ſubſtantiæ, panno, vel bobus, ſed per & propter numerum: qui cauſa eſt & medium, per quod iſtis reſpectus inhæret. Ita pater & filius, dominus ſeruus, Relata ſunt: ſubiectum Relationis perſona patris & ceterorum: fundamentum verò non amplius perſona vel ſubſtantia, ſed qualitas in perſona: quia non propter perſonam & ſubſtantiam, ſed propter vim & actum generandi, quorum illa qualitas eſt ſecundæ ſpeciei, hic tertiæ, pater eſt & dicitur. Eſt etiam tertium Relationis fundamentum, menſura: ſed hoc in illis duntaxat Relatis locum habet, quæ ſecundum dici vocantur: de quo in Isagoge.

Ceterum ſicut definitio duplex allata eſt: ita Relata duplicis generis conſtituta ſunt, pro duplicis definitionis ratione: eſſentialia & mera: accidentaria & non mera.

Quæ adhuc diximus ad vera Relata pertinent: quæ sequuntur etiam ad cetera. Vera Relata, cuiusmodi Aristotelica definitio requirit, tota sua essentia referuntur: itaque essentialia rectè vocantur: illa verò, quæ Priscorum definitio admittit, sua essentia non referuntur, sed absoluta sunt: secundariò tamen & quasi per accidens respectum quendam secum adferunt. illa Scholæ secundum esse dixerũt, hæc secundum dicit ob geminam definitionem. Illorum exempla sunt, pater, filius &c. horum, scientia, fides, habitus &c.

Solent quoq; Relata in realia & rationis Relata, in mutua, & nõ mutua tribui.

Hæ, similesque diuisiones Scholasticorum sunt. Realia Relata vocarunt, quorum alterum ad alterum sua naturâ refertur, non comparatione nostra, vt pater & filius: Rationis, quæ sola nostra comparatione referuntur, vt dextrum & sinistrum in columna. Sicut enim in columna reuera dextrum & sinistrum non est, nisi nostri habita ratione, qua nobis ad dextram aut sinistram est: ita Rationis quoque & quâ ad nos duntaxat Relatio in ea locum habet.

Mutua dicuntur, quorum vtrunque reale est: non Mutua, quorum alterum dũtaxat reale Relatum est, alterum verò Rationis: vt sunt Relata, quæ secundum dici nuncupantur. Scientia enim ad τὸ ἐπιστητὸν, secundario tamen, refertur: sed

τὸ ἐπιστητὸν non itidem ad scientiam: nisi à nobis, veluti mensura, cum eo, cuius mensura est comparetur. Sed hæc tanti non sunt momenti.

Relatis contrarietas inest.

Adhuc de natura Relatorum: tum verorum: tum etiam eorum, quæ secundariò tantum referuntur: supersunt proprietates. Nam de serie huius Categoriæ è duabus antecedentibus constat: in qua reuera quæ secundum dici sunt Relata locum non habent.

Proprietates quatuor Aristoteles memorat: è quibus extrema duntaxat verorum Relatorum propria est. Quòd enim Relato contrarium esse dicitur, id de secundariis tantùm verum est, quia scientiæ ignorantia repugnat, fidei ἡ ἀπιστία.

Relata magis & minus recipiunt.

Proprietas ista primariјs aliquibus & essentialibus Relatis competit. Similis enim & æqualis alius aliј magis est quàm alius.

Omnia verò Relata reciprocè dicũtur.

Proprietas ista primariјs Relatis cum secundariјs, & vtrisque cum aliјs rebus communis est. Est autem reciproce dici, non si dicatur, pater est filiј pater, filius patris filius, ala, est auis ala, auis, alæ auis, sed reciprocare, & vtroque modo prolata æquè latè patere. Ita hæc πρὸς ἀντιστρέφοντα non dicuntur, ala, est auis ala, auis, alæ auis: cùm ala latius aue pateat. Dicendum, ala est alati ala, alatum alæ alatum: fingendaque vocabula, vt reciproca sit conuersio.

Videntur autem Relata ſimul eſſe naturâ.

Hoc ſicut omnium eſſentialium Relatorum, ita reuera ſolorum proprium eſt. De Relatis enim quæ actu referuntur ſermo eſt, non de ijs, quæ referri poſſunt. Propterea Philoſophus ſecundaria illa Relata excludit, & non obſcurè primaria tum omnia, tum ſola huc admittit, cùm ait (eodem modo de ceteris, quotquot huiusmodi ſunt.) *Ita pater filius, dominus ſeruus, ſimul ſunt naturâ. Quid hoc ſit, paulò pòſt dicetur.*

DE CATEGORIA QVALITATIS.

Qualitas eſt, ob quam quales aliqui dicuntur.

Hoc eſt, Qualitas illud Subſtantiæ accidens eſt, ob quòd talis & talis eſſe dicitur. qualis homo eſt? auarus, humanus, eruditus, albus, pallidus.

Diuiditur in quatuor ſpecies: in Habitum & Diſpoſitionem: in Vim & Imbecillitatem naturalem: in Paſsionem & Paſsibilem qualitatem: in Figuram & Formam.

Hæ praecipuae maniſeſtiſsimaeq; ſpecies ſunt Qualitatis.

Eſt autem Habitus qualitas, è crebris actionibus cõparata: Diſpoſitio verò ex ali-

aliquibus tantùm & paucis acquiſita.

Geminum inter habitum & Diſpoſitionem diſcrimen vtriusque naturam explicat. Sicut enim Habitus non niſi longa & diuturna exercitatione comparatur: ita difficulter aut nunquam exuitur. Contrà Diſpoſitio eſt, quae & citò acquiritur, & facilè amittitur. Habitus eſt, ſi quis vino longo tempore aſſuetus, non poßit non obrui vino: Diſpoſitio, ſi ſemel & iterum largius biberit, & ad largè bibendum inclinet: ita tamen, vt reuocari facilè poßit.

Habitus duplex eſt, animi & corporis: & Habitus animi alius intellectus, alius voluntatis.

Habitus intellectus notitiae ſunt & ſcientiae: Voluntatis, virtutes & vitia: corporis, ſanitas, morbus.

Alterum Qualitatis genus Vis eſt & Imbecillitas naturalis: eſtque Vis naturalis habilitas illa, non exercitatione cõparata, ſed nobiſcum nata, quâ naturaliter ad actiones aliquas apti ſumus: Imbecillitas contrà, qua naturâ ad aliquas actiones inepti ſumus.

Sic aliqui naturâ apti ſunt, & quaſi facti, ad ſaltandum, equitandum, ad poëſin: alij contrà naturâ inepti. In illis naturalis ad iſta vis eſt: in his imbecillitas naturalis. Sic in oculis naturalis

ad

ad videndum vis est, in auribus ad audiendum.

Tertium Qualitatis genus Patibiles qualitates sunt & Pasiones: dicunturque Patibiles qualitates, partim quòd pasionem in sensibus efficiunt: partim quòd à pasione oriuntur.

Huiusmodi sunt, dulcedo, amaritudo, calor, frigus, candor, nigror, & similia. Qualitates hæc esse, ex eo constat, quòd quæ his afficiuntur qualia dicũtur, veluti mel dulce, propter dulcedinem, corpus album, propter candorem. Patibiles qualitates sunt, quia dulcedo, amaritudo, gustatum afficiunt, itaq; paßionem in eo efficiũt: quia sentire pati quoddã est. Ita sonus auditũ afficit, calor tactum: estque Patibilis qualitas ipsemet actus & ἐνέργεια *caloris, dulcedinis, qua sensus afficitur.*

Colores autẽ Patibiles qualitates dicũtur, quòd à passione oriantur. niger enim aliquis fieri potest ab adustione Solis, pallidus, ob morbũ diuturnum.

Aliud paßio est. Paßio enim subita aliqua, tam animi, quàm corporis, immutatio est, quæ sensu percipi potest. Ita rubor ille in facie, si quis pudore correptus erubescat, pallor itidem, si quis commotus palleat, Paßio est, non qualitas patibilis: quia non tardè, sicut pallor ille, qui diuturno morbo cõtrahitur, existit: nec diuturnus est, vt ille.

Vtræque qualitates, Patibiles & Pasiones in animo pariter & corpore locum habent.

In corpore, vt, rubor, pallor: isque tum diuturnus, qui patibilis qualitas est: tum subitus, qui passio est: in animo, vt ira &c.

Quartum genus Qualitatis figura est atque forma.

Species Qualitatis genera vocat Aristoteles: nō ratione Qualitatis, quæ summum genus est: sed inferiorū habita ratione, quorū hæ quatuor species genera sunt. Quartū itaque genus est externa vniuscuiusque rei forma vel figura. Sic forma domus, quòd nigra, quòd quadrata, sit ad hoc quartum genus attinet. Solent inter figuram & formam discernere: quòd illa rerum sit Mathematicarum & inanimarum: hæc animatarum. ad hoc quartum genus omnes res artificiosæ, quâ quidem ab arte sunt, referendæ sunt.

Qualitati contrarietas inest.

Altera Categoriæ pars in proprietatibus. Sensus est, qualitates inuicem contrarias esse: quamuis id non de omnibus verū sit. Iusticia enim iniusticiæ contraria est: sed colores medij, figuræ, propriè loquendo contraria non sunt. Vera proprietas hæc est in concreto & abstracto.

Qualia magis & minus recipiunt.

Vera proprietas hæc est in concreto tantùm. albus enim alio magis albus est, eruditus alio magis eruditus: albor autem alio albore non magis albor est, eruditio alia eruditione non magis eruditio. maior esse potest: sed non magis.

Similia verò dissimiliaque ob solas qualitates dicuntur.

Quicquid alteri simile, dissimileúe dicitur id ob qualitatem dicitur, cuius id proprium est. Similia verò dicuntur, quorum vna & eadem qualitas est: dissimilia, quorum diuersa est. Similia sunt quae eandem figuram & formam, eosdem mores, habent: dissimilia, quae diuersa.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

Actio est, quæ ab agente in patiens transit.

Hoc est, Actio actus & ἐνέργεια illa est, tertiae speciei qualitas: at non simplex & in se considerata ἐνέργεια, quo modo in Qualitate consideratur: sed quâ à patiente, vt subiecto, recipitur. Tria igitur in actione concurrunt: agens: patiẽs: ἐνέργεια: velut in aqua calescente, ignis, vt agens & calefaciens: aqua calescens: ignis actus & ἐνέργεια, calfactio.

Passio verò effectum est Actionis.

Vnus & idem actus Actionis simul & Passionis rationem habet: Actionis, si id quod agit, spectetur: Passionis, si id quod perpetitur, & in quod ab agente transit. Sic eadem mersio actio simul est & passio: actio, si mergens, passio si quod mergitur, spectetur.

Vtrũque, & Agere, & Pati, contrarietatem

tatem recipit, itidemq; magis & minus.

Quem ad modum calfacere & frigefacere contraria sunt: sic & calfieri & frigefieri: & quem ad modum aliud alio magis, minusúe calfacit, aut frigefacit: sic aliud alio magis minusúe calefit, & frigefit.

QVANDO.

Quando mensura temporis est.

Hoc est, Categoria Quando aliud nihil est quàm tempus: at non quâ tempus est simpliciter: sed quâ res, ortui & interitui obnoxias, continet, earum esse, durationemque metitur. Alius enim viginti annos viuit: alius sexaginta. haec vestis tanto tempore durauit: illa maiore. his omnibus tempus maius est: & idcirco haec continet, horumque mensura est. Nec tempus ergò, nec id quod in tempore est, ad hanc attinet Categoriam, sed ipsum in tempore, vel temporeum, esse, siue, quod in tempore est huc attinet, sed ea ratione, qua in tempore est.

VBI.

Vbi loci est affectio.

Locus Categoriam Vbi constituit: sed illius, quod continet, ratione consideratus. Locatum igitur & in loco esse huc pertinet: sicut ad antecedentem Categoriam in tempore esse.

SITVS.

Situs partium corporis est distinctio.

In Vbi totius loci & locati ratio habetur, non partium: hîc partium, non totius. Quem ad modum enim totius locus totum corpus continet: ita singulæ loci partes singulas partes corporis: & quem ad modum omne corpus in loco est: ita partes illius aliter & aliter sitæ sunt. Cùm enim sedeo, & corpus incuruo, quod non nisi in loco & vbi fit, aliæ partes erectæ sunt, aliæ inclinatæ, aliæ sursum, aliæ deorsum. hoc est situm esse, ratione scilicet partium aliter & aliter in loco esse.

HABERE.

Habere est certa indumenti forma indutum esse.

Habere nihil aliud est, quàm forma indumenti: sed quâ ab aliquo habetur. non ergò tunica, non calceus, sed tunicatum, calceatum, armatum, ad hanc attinet Categoriam.

DE OPPOSITIS.

Opponitur alterũ alteri quatuor modis: vt Relata opponuntur: vt contraria vt priuatio & habitus: vt affirmatio & negatio.

Vt relata vel relatè duo relata opponuntur, pater, filius: contrariè, duo contraria: suntque contraria, quæ in eodem genere plurimùm distant, vt in coloribus album & nigrum, in saporibus, dulce & amarum. Longius enim in genere colorum

colorum album à nigro, & hoc ab illo, in saporibus dulce ab amaro, & contrà, abest, quam vel rubrum à flauo, vel album aut nigrum à flauo, quàm acre ab austero, vel etiam amarum ab austero. Vt priuatio & habitus opponuntur lux & tenebræ, aspectus, cæcitas: vt affirmatio & negatio, duæ voces simplices, quarum altera negantem particulam adiunctam habet, altera non habet, vt, musicus, non musicus: albus, non albus. De simplicium enim vocum oppositione modò sermo est, non de coniunctorum & enunciatorum.

PRIVS.

Prius aliud alio quatuor modis dicitur: tempore: consecutione: ordine: dignitate.

Prima princepsque vocabuli prius significatio est, prius tẽpore. Sic Abrahamus prior Isaaco fuit, Christus Abrahamo. Altera est prius consecutione. Dicitur verò consecutione prius illud, quod ad alterius positionem consequitur. Sic vnum prius est duobus: quia si duo sint, consequitur, vnum esse: sed non contrà, si vnum sit, duo esse consequitur. Hoc etiam Aristoteles ipse naturâ prius vocat. Tertiò prius ordine dicitur: quo modo Senator Senatorem, litera syllabam, syllaba dictionem, antecedit: quartò prius dignitate: quo modo Consul prior est Senatore. li. 1. de cælo cõt. 22.

SIMVL

SIMVL.

Simul duobus modis dicitur: tempore: natura.

Tempore, proprieque simul esse vel fieri illa dicuntur, quæ eodem tempore, temporisúe momento sunt aut fiunt: quo modo diuersa conuiuia simul agitantur, diuersæ lectiones & conciones simul habentur. Naturâ *simul illa sunt, quae se mutuò ponunt & euertunt: & quorum neutrum est absque altero: ita tamen, vt neutrum alterius causa sit. hoc modo* Relata *simul sunt.*

Finis libri primi.

DE

DE ENVNCIATIONE LIBER SECVNDVS.

QVID ENVNCIATIO SIT & quotuplex.

CAPVT I.

Enunciatio eſt oratio, cui verum aut falſum ineſt.

QVEM ad modum de quauis Categoria duo ſunt expoſita: ita tum Syllogiſmi, tum Enunciationis cognitio in hiſce duobus poſita eſt, in natura & proprietatum cognitione. Genus Enunciationis oratio eſt: quia Enunciatio vox eſt, cuius partes ſeorſum vim ſignificandi habent: ſed vt vnica dictio, non vt affirmatio vel negatio. Differentia eſt, quòd verum aut falſum contineat, vera ſit aut falſa, hoc eſt, aliquid de aliquo affirmet aut neget: quod cum veritate vel falſitate neceſſariò coniunctum eſt: quo à ceteris orationibus, cuiusmodi imperans eſt & optans, diſcernitur: quæ nihil affirmant, aut negant: eoque enunciantes non ſunt.

Enunciatio alia ſimplex eſt, alia coniuncta: ſimplex, quæ aliquid ineſſe vel non ineſſe ſignificat: idque pro tempo-

rum varietate: coniuncta, quæ è duabus simplicibus constat.

Simplex Enunciatio est, quæ aliquid affirmat aut negat de aliquo: idque pro temporum varietate, vt scilicet verbum, quod attributi locum tenet, vel præsentis temporis sit, vel præteriti, vel futuri: sed indicantis modi: cùm ceteri modi inepti sint ad enunciandum. Simplex enunciatio est, Deus est iustus, Deus nō est prosopoliptis: quia illa Deo aliquid inesse significat, hæc non inesse: estque verbum est *indicandi modi, & temporis præsentis. Coniuncta est, si in hac solùm vita in Christum sperauimus, miserrimi omnium hominum sumus. Hîc duæ simplices particulæ* si *coniunguntur: nos in hac solùm vita sperauimus: nos omnium hominum miserrimi sumus. Quemadmodum enim simplex Enunciatio è duabus simplicibus partibus, è subiecto & attributo, constat: eoque simplex dicitur: ita Coniuncta dicitur, quòd è partibus coniunctis siue compositis, è duabus enunciationibus, constet: estque triplex: Hypothetica: Disiungens: Copulans. Hypothetica est, quæ duas simplices particula* si *connectit: & Hypothetica dicitur, quòd nihil adseueret, nisi cum conditione, priori scilicet parte concessa, vt illa, si in hac solùm vita in Christum sperauimus, miserrimi omnium hominum sumus. Disiungens est, quæ duas simplices particula* vel *siue* aut *disiungit: Copulans, quæ eas particula* & *coniungit.*

iungit. exemplum illius: aut iustus est Deus, aut iniustus: huius, Christus & verus Deus est, & verus homo.

Notandum est, quòd duas illas coniunctæ Enunciationis species non disiunctam & copulatam, sed disiungentem & copulantem voco: quod non sine causa facio. Sicut enim enunciatio & enunciatum differunt: quòd illa simplicem formam & enunciandi modum, absque materia, significat, hoc verò materiam simul cum forma: ita voces illæ disiuncta, copulata *materiam cum forma declarant:* disiungens, copulans *solam formam. Sicut enim sequenti Libro de sola forma syllogismi præcipietur: ita hîc de sola forma enunciationis sermo est: quo modo alterum alteri attribuatur: qualis attributio sit vel enunciatio: qualescunque tandem res sint, quæ inuicem sibi subiiciuntur & attribuuntur.*

DE SIMPLICIS ENVNCIATIONIS DIVISIONE.

CAP. II.

Plures harum simplicium Enunciationum divisiones in Isagoge vide pag. 124 et seqq.

Enunciatio simplex alia naturalis est, alia contra naturam.

Naturalis est, cùm id quod naturaliter subest, subiectum est, & attributum, quod

naturaliter inest: contra naturam, cum hic naturæ ordo inuertitur, & subiectum constituitur, quod alteri inesse & de eo dici solet, attributum, quod ei subesse solet. exemplum illius, homo est albus; istius, album est homo. non enim albor hominem, sed hic illum, sustinet. Eadem ratio substantiarum. Enunciatio naturalis est, si illa quæ subest, & angustior est, subiecti, communior & cui subest, attributi locum teneat: contra naturam, si cõtra fiat. hæ enim, Petrus est homo, homo est animal, animal est corpus, naturales sunt: hæ verò, homo Petrus est, animal homo est, contra naturam.

Naturalis in propriam & impropriam seu figuratam tribuitur.

Propria est, in qua de indiuiduo species, & tum de specie, tum indiuiduo, genus, vel de indiuiduo, specie, genere, differentia, proprium, accidens, enunciatur. Petrus est homo, animal: quoddam animal ratione, vi ad ridendum, preditum est, album est.

Huc illa de Filio Dei pertinet enunciatio. propria enim est: quia siue de Deo homo, siue de homine Deus, enuncietur, semper de indiuiduo & angustiori species, siue quod cõmunius est enunciatur. Nec enim Deus & homo, vt duo disparata, hic considerantur: cùm non quicquid Deus est homo sit, neque Deus quicquid homo est: sed siue Deus subiiciatur, siue homo, semper altera Sacro-

ſanctæ Trinitatis perſona denotatur: quæ vtrunque eſt, Deus, & homo: & ſiue Deus, ſeu homo, de ea enũcietur, ſemper de indiuiduo, de altera Trinitatis perſona, ſecundum aliud tamen & aliud, quod communius eſt enunciatur: quia homo de ea, ratione humanitatis, non ſecus atque de Petro, dicitur, Deus, ratione deitatis, non ſecus atque de Patre & Spiritu Sancto. Solius ſubiecti diſsimilitudo non facit diſsimilitudinem Enunciationis.

Figurata eſt, in qua attributum neque ſubiecti ſpecies eſt, neque genus, neque differentia, neque proprium, neque accidens: quæ cauſa eſt, cur ei propriè competere nequeat, vt Herôdes eſt vulpes: Ioannes eſt Elias.

Vtraque vel affirmans eſt, vel negans.

Affirmans eſt, quæ aliquid alicui ineſſe ait, vt Deus eſt iuſtus: negans, quæ aliquid alicui ineſſe negat, vt, Deus non eſt proſopoliptis. Conſtat hæc negante particula: quæ ſemper verbo proximè eſt præponenda. alioquin affirmationem efficit, non negationem.

Vtraque denuo vel vniuerſalis eſt: vel particularis: vel indefinita: vel ſingularis.

Vniuerſalis eſt, quæ ſignum vniuerſale præpoſitum habet: idque vel affirmans, vel negans. Affirmantia ſunt, Omnis, quicunque &c. negantia, Nullus, Nemo, Nihil, &c. Vniuerſalis igitur

affirmans Enunciatio est, Quicquid ortum est id interit: negans, Nihil quod interitu vacat ortum est. Particularis est, quæ signum particulare præpositum habet, vt, quoddam animal est ratione præditum: quoddam animal non est præditum ratione: indefinita, cuius subiectum commune quidem est, sed sine signo positum, vt homo literatus est. indefinita vocatur, quia signo cùm vacet, dubium est, vniuersè ne, an in parte sumatur. Alioquin, si materiam spectes, attributumque toti subiecto competat, vt hîc, homo est animal, vniuersalis enuuciatio est, vtut signo vacet. Sed hîc de Enunciationis forma sermo est, non de materia. Singularis est, cuius subiectum est singulare, vt Petrus est animal.

Enunciatio denique vel modo affecta est, vel non affecta.

Quatuor sunt Enunciationis modi: necesse: possibile: impossibile: contingens. Quæ igitur enunciatio horum quatuor modorum aliquem annexum habet, seu initio, seu in medio, seu fine, annexum eum habeat, ea modo affecta, seu, vt barbari loquuntur, modalis est, vt, necesse tandem est, bonis benè esse: possibile est, hunc euadere doctum: impossibile est, vt quòd ortum est interitu vacet: contingens est, pauperem fieri diuitem.

DE ENVNCIATIONVM OPPOSITIONE.

CAP. III.

Enunciationes quinque modis inuicem opponuntur: vt contrariæ: vt subcontrariæ: vt contradicentes: vt indefinitæ: vt singulares.

De natura Enunciationis dictum est. sequuntur proprietates: quæ duæ sunt, Oppositio & Conuersio. Contrariè opponuntur duæ enunciationes vniuersales, quarum altera ait, altera negat, vt, omne corpus circumscriptum est, nullum corpus circumscriptum est: subcontrariè, duæ particulares, affirmans & negans, vt, quoddam corpus circumscriptum est, quoddam corpus non est circumscriptum. dicuntur subcontrariæ, quòd sub contrariis, ceu partes sub toto, contineantur. Contradicentes duplicis generis sunt. Vel enim altera vniuersalis affirmans est, altera particularis negans, vt, Omne corpus circumscriptum est, non omne corpus circumscriptum est, aut, quod eodem redit, quoddam corpus non est circumscriptum: vel, è contrario, altera vniuersalis negãs, altera in parte affirmãs, vt, Nullũ corpus infinitũ est: quoddã corpus est infinitum. Quarto loco duæ indefinitæ sibi opponuntur, affirmans & negans, anima ex traduce est, anima non est ex traduce. Hæ reuera neque

contrariæ sunt, neque subcontrariæ. nam quòd ad alterutras reuocantur, id à materia habent, non à forma. hîc vero de sola forma quæstio est. Opponuntur denique duæ singulares, Iudas prodidit Christum, Iudas non prodidit Christum.

Proprium est tum contradicentium, tum singularium, vt alterutra perpetuo vera sit, altera falsa. & quem ad modum contrariæ nunquam ambæ veræ sunt, etsi aliquando ambæ falsæ: ita subcõtrariæ, infinitæ itidẽ, simul verę esse possunt.

Sicut Oppositio proprietas est Enunciationis: ita quòd oppositarum Enunciationum alterutra vera sit, altera falsa, vel vtraque vera aut falsa, proprietas est & accidens Oppositionis. Duarum itaque Contradicentium alterutra perpetuò vera est, altera falsa: quia nullum prorsus inter eas medium, vt, Omne corpus circumscriptum est, quoddam corpus non est circumscriptum. hæc naturæ, hæc Opificis naturæ lex est. Eadem duarum singularium ratio. Etsi enim contradicentes non sunt: id tamen commune cum contradicentibus habent, vt semper alterutra vera sit, altera falsa, vt petra illa solitudinis erat Christus petra illa solitudinis non erat Christus.

Duæ Contrariæ in materia, quam vocant, contingente, hoc est, cum accidens commune de subiecto dicitur, simul quidem falsæ esse possunt, sed veræ nunquam, siue contingens attributum

ſit & accidens commune, ſeu neceſſarium, vt, Omne animal ſentit, Nullum animal ſentit. hæc enim & huiusmodi contradicentium rationem habent. Contrà ſubcontrariæ nunquam ſimul falſæ ſunt, ſed ambæ veræ in materia contingente: ſicut etiam alterutra vera eſt, altera falſa, ſi nexum ſit neceſſarium inter ſubiectum & attributum, vt quidam homo literatus eſt, quidam homo non eſt literatus. hæ ſimul veræ ſunt. harum autem altera tãtùm, quoddam animal ſentit: quoddam animal non ſentit.

Eadem planè, quæ ſubcontrariarum, etiam indefinitarum eſt ratio. Vel enim vtraque vera eſt: quod fit, ſi commune accidens de ſubiecto dicatur, vt, homo literatus eſt, homo non eſt literatus (hæ enim particularibus reſpondent) vel alterutra vera, altera falſa: quod fit, ſi attributum ſubiecto neceſſario inſit, genus ſcilicet, differentia, proprium, illius, vt homo animal eſt, homo non eſt animal. nam hæ contrariis reſpondent: eò quòd duæ indefinitæ, in materia neceſſaria, idem cum duabus contrariis valent, & contradicendi vim habent.

Ex quo liquet, duas Indefinitas, quantumuis Cõtrariarum aliquando rationem habeãt, nunquam tamen, vt illas, ſimul falſas eſſe poſſe: quòd in materia demum neceſſaria contrariis reſpondent: in qua neceſſariò alterutra vera eſt, altera falſa. Vſus Oppoſitionis in ſyllogiſmorum perfectione conſpicitur.

DE

DE ENVNCIATIONVM CONVERSIONE.

CAP. IV.

Conuersio Enunciationum est subiecti in attributũ, & huius in illud legitima commutatio: estque vel simplex, vel non simplex.

ENunciationem conuertere est è subiecto attributum, & ex hoc illud, facere, vt, Nulli verè credentes pereunt: ergò, Nulli qui pereunt verè credẽtes sunt. priorem enunciationem, quæ commutatur, conuersam dicunt: posteriorem, in quam immutatur, conuertentem. Sed necesse est, vt legitima conuersio sit, hoc est, vt vtraque, tam conuertens, quàm conuersa, vera sit: quòd alioquin euersio esset, non conuersio. Nam si hanc, Omnis homo animal est, ita conuertas, Omne animal homo est, euertis, non conuertis: quia falsa posterior.

Lib. I. Prior. Analyt cap. I. *Vt ergò legitima Conuersio sit, duplicem nobis Cõuersionis modum Aristoteles præscribit, simplicem, non simplicem, quem per accidens appellant.*

Simplex est, cùm simpliciter è subiecto attributum fit, ex attributo subiectum, incolumi tum qualitate, tum quantitate, permanente. hac conuersione vniuersalis negans, & particularis affirmans, conuertuntur, Nulli verè credentes damnantur: ergò, Nulli, qui damnantur verè credentes

tes sunt. Quidam hypocritæ sanctè viuunt: ergò quidam qui sanctè viuunt, hypocritæ sunt. Rationem, cur ita conuertantur, in Isagoge exposui.

Non simplex, siue per accidens conuersio est, qua præter extrema, quantitas quoque commutatur: quod in vniuersalis affirmantis fit conuersione: quæ non in vniuersalem, sed particularem, immutatur: eò quòd attributum subiecto communius est, Omnis homo animal est: ergo quoddam animal homo. Conuertitur etiam aliquando simpliciter: sed ob materiam, cùm terminis reciprocis constat, vt, Omnis homo ratione præditus est: Omne ratione præditum est homo.

Geminæ Conuersionis istius vsus, quem ad modum Oppositionis, in imperfectorũ syllogismorum perfectione conspicitur: quod suo loco patescet.

Huic gemino modo, ab Aristotele tradito, & ad structuram syllogismi necessario, recentiores tertium adiecere, per Contrapositionem: quo cum extremis qualitas etiam immutatur, salua quãtitate, vt, Omnis homo animal est: ergò, quicquid non est animal, id non est homo.

Porrò sicut modo vacantes Enunciationes tum opponuntur, tum conuertuntur: sic & quæ modo sunt affectæ: sed diuersa paululũ ratione. In his enim negãs particula non verbo, quod fit in modo vacantibus, sed ipsi modo est adiicienda. Causa est quòd quæ verbi, seu substantiuũ illud fit, quod copulam dicunt, seu aliud verbum, in modo vacantibus

tibus ratio est, eadem in his modi ratio est: & sicut in illis verbum illud est quod affirmat & negat, itaque oppositionem efficit: sic in hisce modus. Si itaque dicatur: possibile est, Petrum ambulare, possibile est, Petrum non ambulare, oppositio non est: quia vtraque vera: quod locum non habet in duabus singularibus. Dicendum itaque, possibile est, Petrum ambulare, non possibile est, Petrum ambulare: necesse est venire scandala, non necesse est venire scandala. & sic de ceteris duobus modis. Quæ verò cōtrariè, quæ vt cōtradicentes, &c. opponantur, quæ itidem ad quas consequantur, id ex Isagoge nostra & Aristotele petendum est.

lib.2. part. Com. cap.6. de Interpr. cap. 16. 17.18. lib.1. Prior. cap.1.

Conuersio eadem hic est quæ in simplicibus & modo vacantibus. tantum cōtingentium, in quibus τὸ ἐνδεχόμενον *propriè sumitur, alia ratio est, de quo Aristoteles. Necesse est nullum electum perire: ergò, necesse est, nullum qui perit electum esse. necesse est omnem hominem animal esse: necesse igitur est quoddam animal hominem esse: possibile est, quosdam hypocritas inculpatè viuere: ergò possibile est quosdam inculpatè viuentes hypocritas esse.*

Finis libri secundi.

DE SYLLOGISMO LIBER TERTIVS.

QVID SYLLOGISMVS SIT & quotuplex:

CAP. I.

Syllogiſmus eſt ratio, in qua quibusdam poſitis, diuerſum quiddam à poſitis ex neceſsitate ſequitur, eò quòd hæc ſunt.

TOTA de generali Syllogismo doctrina duabus partibus conſtat: quarum altera naturam illius & eſſentiam explicat, altera proprietates. Tractatio de natura tribus capitibus continetur: è quibus primum ſtructuram ſyllogiſmi docet: alterum inuentionem medij, ſeu euporian: extremum analyſin. Primò verò omnium definitio Syllogiſmi traditur, & quod nam illius principium ſit & fundamentum.

Genus ergo Syllogiſmi ratio eſt, λόγος, hoc eſt, tranſitus mentis, quo à noto ad id quod ignotum eſt tranſit, & hoc ex illo concludit. Quoniam autem in ceteris quoque ratiocinandi formis quæ actu Syllogismus non ſunt, nec ſuapte, ſed Syllo-

gismi, vi concludunt, transitus fit à noto ad ignotum: idcirco quinque differentiæ subiiciuntur, quæ genus hoc ad Syllogismum restringunt. Prima est in qua quibusdam *seu, in qua ratione quædam sunt. Vt transitus à noto ad ignotum Syllogismus sit, primò necesse est, vt quod notum est, & principij locum tenet, non vnicum sit & vnica propositio, vt in Enthymemate, sed plura, duæ scilicet propositiones, quæ tribus terminis constant. Vtrunque, propositiones & termini, voce* quibusdam *innuitur: quia quædam ista non solum esse, sed etiam posita esse necesse est: quod tam ad terminos spectat, quàm ad propositiones. Altera itaque differentia est, vt ista quædam, tres termini duæque propositiones, posita, hoc est, certa, legitimaque ratione, in Figura scilicet & Modo, disposita sint: de quo paulò pòst. Tertia est, vt quod è duabus propositionibus, certo modo dispositis, sequitur, diuersum sit ab illis. atque hoc conclusio est: quæ diuersa esse debet à propositionibus: quòd alioquin principium peteretur, & nulla vis consequutionis esset. Quarta est, vt quod sequitur, conclusio, non precariò, vt in hypothetico fit syllogismo, sed ex necessitate, necessitate scilicet formæ, talisque dispositionis consequatur. Extrema, vt conclusio tantùm per & propter illa quæ disposita sunt, consequatur, non egens alterius, vel propositionis, vel termini, adminiculo: qua particula*

ticula Syllogiſmus penitus à ceteris ratiocinandi formis diſcriminatur : quæ etiam ex neceſſitate concludunt : ſed vi Syllogiſmi, & δυνάμει, non actu & vi illorum, quæ in illis ponuntur: quia externo termino egent, & adiiciendum illis eſt, vt neceſſitatem actu obtineant.

Syllogiſmus alius perfectus eſt, alius imperfectus: perfectus, qui alio, præter ea, quæ ſumta ſunt, nullo eget, vt neceſſitas appareat: imperfectus, qui vel vno, vel pluribus, eget: quæ neceſſaria quidem ſunt per terminos poſitos, non tamen ſumta per propoſitiones.

Vt hæc diuiſio plenius intelligatur, primò ſciendum eſt, Syllogiſmi partes duplicis generis eſſe, ſimplices, & compoſitas. Simplices tres termini ſunt, maior, minor, medius: compoſitæ, duæ propoſitiones & concluſio. Concluſionem enim Syllogiſmi partem, & principem quidem partem eſſe, præterquam quòd è Syllogiſmi definitione liquet, (totus enim tranſitus à noto ad ignotum, quì tum poſita, tum diuerſum illud à poſitis quod ſequitur, comprehendit, Syllogiſmus eſt) etiam pluribus à nobis in Isagoge demonſtratum eſt: vbi quoque docuimus, cur tres tantùm in Syllogiſmo termini ſint, cur maior, cur minor, cur medius dicatur.

Deinde notandū eſt, Syllogiſmū hac diuiſione,

non

non ratione materiæ, sed formae duntaxat, diuidi: idque rursus, non vt in se est, sed qualis nobis videtur. Omnis enim syllogismus actu, seu primæ figuræ sit, seu mediae, vel extremae, necessario cõcludit: sed in alio Consecutionis ista necessitas cõspicua est, in alio verò latet. In quibus ergò conspicua necessitas est, ij perfecti sunt, & dicuntur, nec vllo, praeter ea, quibus constant, egẽt, vt manifesta sit necessitas consecutionis: quales omnes & soli primae figurae syllogismi sunt: in quibus verò latet, ij imperfecti dicuntur, cuiusmodi syllogismi mediae tertiaeque figurae sunt: qui perfectione egent: non, vt necessarij fiant: sed, vt quae in illis latet necessitas, conspiciatur: quod fit, cum ad primam reuocantur.

Vt autem ad primam reuocentur, in quo eorum perfectio consistit, vel vno duntaxat opus est: vel pluribus: vno, si sola propositionum conuersio sufficiat: quod fit in Cesare: pluribus, si tum conuersione, tum transpositione, opus sit: quod fit in Camestres, & ceteris id generis modis.

Quod ad extremum additur, ea ipsa, quae syllogismis imperfectis reductione & perfectione accedunt, necessaria quidem esse, quâ ad terminos, sed in propositionibus sumta non esse, eo indicatur, syllogismos imperfectos hoc ipsum, quod pòst actu consequuntur, ante reductionem δυνάμει *habere, eoque necessitate praeditos esse. Nam ante conuersionem & transpositionem aliter se propositiones*

positiones habent, aliter post conuersionem & transpositionem. nihilo secius terminorum, è quibus propositiones constant, ea ratio est, vt ita conuerti transponique propositiones possint.

DE PRINCIPIO ET FVNDAMENTO SYLLOgismi, de eo, quod est dici de omni vel nullo.

CAP. I.

Dici de omni vocamus, cùm nulla subiecti pars sumi potest, de qua alterum non dicatur, itidemque de nullo, cùm nulla subiecti pars sumi potest, de qua alterum non remoueatur.

FVndamentum & principium naturale totius artificij Syllogistici: idque geminum, affirmantis, & negantis, Syllogismi: quo indicare Philosophus voluit, nihil se de Syllogismo traditurum, nisi quod ipsa Natura, Naturæque Opifex, de eo tradidisset, animisque nostris insculpsisset.

Dici itaque de omni integer naturalis Syllogismus est, sed affirmans, hoc est, lux quædam animis nostris naturaliter insita, qua cernimus, cur

aliquid ex alio consequatur. Eadem alterius principij ratio est: nisi quòd hoc negantium Syllogismorum fundamentum est, dici de omni affirmantium.

Cùm igitur in horum principiorum descriptione dicitur, cùm nulla subiecti pars &c. de qua alterum &c. *tres Syllogismi termini innuuntur, subiectum, pars subiecti, alterum, quod scilicet de subiecto dicitur. hoc alterum maior terminus, siue maius extremum est, quod de subiecto maioris propositionis dicitur: pars subiecti minor terminus seu minus extremum, subiectum conclusionis, de quo in conclusione alterum illud, seu maius extremum dicitur. Subiectum ergo terminus medius est, qui in maiore propositione subiicitur, in minore prædicatur.*

Eodem modo in negante principio tria sunt, subiectum maioris propositionis, siue terminus medius: pars istius subiecti, seu terminus minor: alterum, seu terminus maior, qui sicut in maiore propositione de subiecto & toto, sic in conclusione de illius parte, negatur.

Liquet hinc, duobus hisce principiis primæ Figuræ dispositionem denotari, eaque Syllogismorum primæ Figuræ, & ex consequenti, totius artificij Syllogistici, cùm ad primam Figuram omnes ceteri Syllogismi reducantur, fundamenta esse, alterum quidem affirmantium, alterum verò negantium.

Liquet

Liquet etiam, duo hæc principia duas conditiones flagitare: alteram, vt maior semper vniuersalis sit, seu affirmans sit, vt in dicto de omni, siue negans, vt in dicto de nullo: alteram, vt minor semper affirmans sit, seu vniuersalis sit, seu particularis.

Si ergo quæratur, cur Syllogismo, talique, de qua dicetur, terminorum dispositioni, necessario sit assentiendum, respondemus, hoc diuinæ Rationis institutum, talemque mentis transitum ab ipso Deo profectum esse, & idcirco fallere non posse. Quicquid sub Luna est id interitui obnoxium est: Nos sub Luna sumus: igitur obnoxij interitui. Nulla Christi ouis perit: Omnes verè credentes oues sunt Christi: quare nulli verè credentes pereunt. Hæc ex necessitate, & necessitate quidem omnibus conspicua, consequuntur. Si res quoque falsissimas hoc modo disponas, conclusio nihilo secius ex necessitate efficietur. Hæc huius dispositionis vis est. hæc dispositio hisce principiis innuitur. ex hisce principiis omnis consecutio, consecutionisque pendet necessitas.

DE REGVLIS GENERALIBVS, AD OMNES PROMIſcuè Figuras attinentibus.

CAP. III.

Regula prima.

E puris particularibus nihil efficitur.

HOC *eſt, Si vtraque propoſitio, maior & minor, in parte ſit, nulla neceßitas eſt, cur ex iis concluſio ſequatur. ratio pendet è duabus antecedentibus principiis.*

II.

E puris negantibus nihil efficitur.

Idem ſenſus huius Regulæ, *qui præcedentis. Si vtraque propoſitio negans ſit, concluſio nulla neceßitate ſequitur. ratio itidem ex antecedentibus principiis pendet: quia totum de parte, quæ ſub illo aſſumitur, nunquam negatur, ſed ſemper affirmatur. deinde, cauſa, cur in concluſione maius extremum minori vel attribuatur, vel non attribuatur, ſed ab eo remoueatur, terminus medius eſt. Vt huius rei cauſa ſit, cum alterutro extremorum cohæreat neceſſe eſt. nam ſi cum neutro cohæreat, cauſa non eſt, cur illa inter ſe vel cohæreant, vel non cohæreant.*

Con-

III.

Conclusio partem debiliorem sequitur.

Vis & imbecillitas propositionum in qualitate consistit & quantitate. firmior affirmans est negante, vniuersalis particulari. Sensus igitur est, Si alterutra propositio in parte sit, aut negans, talem quoque conclusionem esse debere. nam ex angustiori non efficitur quod communius est: neque possunt extrema cohærere, si ab alterutro medium in præmissis remoueatur.

IV.

Ne plus in conclusione sit, quàm in præmissis.

Plus in conclusione, quàm præmissis, est, si vel alia, quàm quæ sequebatur, conclusio inferatur: vel aliquid conclusioni attexatur, quòd vi præmissarum non habetur. Exemplum prioris, Venditio Iosephi est à Deo: Venditio illa peccatum est: peccatum igitur à Deo est. sequitur tantùm, ergo quippiam, quod peccatum est, à Deo est. exemplum posterioris, Nulla Christi ouis ex ipsius manu rapitur: Omnes verè credentes oues sunt Christi: nullus itaque verè credens ex illius manu rapitur, aut à veritate vnquam deficit. attexitur quòd vi præmissarum non habetur.

V.

Medius terminus conclusionem non ingrediatur.

Medius terminus bis ponitur in propositionibus, in vtraque semel: & causa est, cur duo extrema in conclusione inuicem vel attribuantur, vel remoueantur. non ergo conclusioni intexendus.

DE FIGVRIS.

CAP. IV.

Figura legitima trium terminorum est dispositio, maioris, minoris, medij: estque vel prima, vel secunda, vel tertia.

FIGVRA terminorum est dispositio, non propositionum: quòd, si propositionum dispositio esset, plures Figuræ tribus essent. Legitimè verò termini disponuntur, cùm medius terminus vel in vtraque propositione attributi, vel in vtraque subiecti, vel in maiore subiecti, in minore attributi, locum tenet.

Hinc ratio sumitur, cur neque plures tribus, neque pauciores sint Figuræ. Nam si naturaliter ratiocinando progredi, dictumque de omni & de nullo, aliquo saltem modo retinere, velimus: tria duntaxat loca medio termino conceduntur,

primus,

primus, vltimus, medius. Primum locum occupat, cum in vtraque propositione attribuitur: quod in secũda Figura fit: vltimum, cùm in vtraque subiicitur: quod in vltima Figura fit: medium, cum in maiore subiicitur, in minore attribuitur: quod fit in prima.

Quòd si quis quartum locum esse contendat, illum scilicet, quo medium in maiore attribuatur, in minore subiiciatur: is sciat, locum hunc naturalem non esse, sed duobus illis, de quibus diximus, principiis aduersarium. quare vana quarta Figura.

DE FIGVRA PRIMA
CAP. V.

Prima Figura trium terminorum est dispositio, qua medius maiori subiicitur, minori attribuitur. Modos siue species concludendi quatuor habet. Vel enim è duabus propositionibus, in toto affirmantibus, affirmantem & vniuersalem efficit conclusionem: vel è maiore, in toto negante, & minore, in toto affirmãte, conclusionem vniuerse negantem: vel è maiore, vniuerse affirmante, & minore, in parte affirmante, conclusionem in parte affirmãtem: vel denique è maiore vniuersali & negante, minore

verò in parte affirmante, conclusionem in parte negantem.

QVEM ad modum Figura terminorum dispositio est: ita modus propositionum, seu, enunciatorum: estque Modus aliud nihil, quàm duarum propositionum & conclusionis, pro vniuscuiusque Figuræ natura, dispositio. Prima Figura quatuor modos habet: qui quatuor vocibus, ad hanc rem satis appositè excogitatis, denotantur, Barbara, Celarent, Darij, Ferio: in quibus vocibus, ad rem quidem præsentem quod attinet, solæ vocales notandæ sunt. A. enim vniuersalem, eamque affirmantem enunciationem, seu propositionem & conclusionem, significat: E. vniuersalem negantem: I. particulam affirmantem: O. in parte negantem. Prima itaque vox primi Modi nota est: qui tribus vniuersalibus enunciatis, duabus propositionibus & tertia conclusione, constat, sicut illa tribus A: altera alterius: tertia tertij: extrema extremi. ratio eadem. semper enim prima vocalis primam & maiorem propositionem denotat: altera minorem: extrema conclusionem.

EXEMPLA SINGVLORVM MODORVM.

Barb *Quicquid ortum est id interit:*

ar *Quic-*

ar *Quicquid sub Luna est id ortum est: ergo*
a. *Quicquid sub Luna est id interit.*

Cel *Nihil quod ortum est æternum est:*
ar *Omnes in Mundo res ortæ sunt: ergo*
ent. *Nullæ in Mundo res æternæ.*

Dar *Quicquid ortum est id interit:*
i *Quædam substantiæ ortæ sunt: ergo*
i. *Quædam substantiæ intereunt.*

Fer *Nihil quod ortum est æternum est:*
i *Quædam substantiæ ortæ sunt: ergo*
o. *Quædam substantiæ non æternæ.*

Nota, In minore propositione & conclusione, in quibus particularis locum habet, singularis quoque, quæ demum vera particularis est, locum habet. Cur verò tum in hac, tum in media figura, neque plures, neque pauciores, Modi sint concludentes, quàm quatuor, in extrema verò sex, id in Isagoge pluribus est demonstratum.

Proprietas huius Figuræ gemina est: vt maiorem semper vniuersalem, vt minorem semper habeat affirmantem.

Adhuc natura primæ Figuræ: proprietas sequitur: quæ gemina est: vt maior vniuersalis, vt minor affirmans sit: cuiusmodi necessario sunt: cùm prima Figura naturalis illa dispositio sit, de qua antè. cap.2.

Obser-

Obseruandum est, minorem in hac Figura crebrius negantem videri, cùm affirmans sit. Fit hoc, quoties maioris propositionis subiecto descriptio adiicitur, quæ negantem particulam adiunctam habet. tunc enim in minore negans hæc particula verbo proximè præponitur, itaque negare, non affirmare, videtur. sed ait, non negat: quia reuera non ad minoris attributum attinet, sed ad medij descriptionem. Quamuis eiusmodi terminorum collocatio reuera secundæ Figuræ dispositio sit: cuius maior conuersa est per contrapositionem. Exemplum:

Nulli, qui Spiritu Dei non ducuntur, Dei filij sunt:
Hypocritæ Spiritu Dei non ducuntur: ergo non Dei filij.

Minor ait: quia particula negans ad medij descriptionem attinet, non ad minoris propositionis attributum: estque perinde, atque si hoc modo ratiocineris:

Nulli homines, qui Spiritu Dei non ducuntur, Dei filij sunt:
Hypocritæ sunt homines, qui Spiritu Dei non ducuntur: ergo non Dei filij.

Eiusmodi tamen Syllogismus, vt dicebam, ad mediam propriè Figuram spectare videtur: quia maior inuersa est per contrapositionem.

Quicunque filij Dei sunt, hi ducuntur Spiritu Dei:

Hypocri-

Hypocritæ non ducuntur Spiritu Dei: ergo non filij.

Conuerte maiorem per contrapositionem: & hãc habebis, Quicunque nõ ducũtur Spiritu Dei, hi non sunt filij Dei, vel, quod eodem redit, Nulli, qui non ducuntur Spiritu Dei, filij sunt Dei.

Est quoque diligenter obseruandum, conclusionem in hac Figura quandoque necessariò colligi, si maximè verè negans minor sit. Fit hoc, cum maior terminis reciprocis cõstat, & ob materiam non propter Formã. tunc enim actu in prima constructus Syllogismus, δυνάμει in secunda est: sicut etiam eandem prorsus ob causam affirmans in secunda cõcluditur. Huius generis est illud Christi: Ioh. 8.

Qui ex Deo est, is verba Dei audit:

Vos ex Deo non estis: ergo vos non auditis.

Reciproca maior est: quia de interna auditione sermo est.

DE SECVNDA FIGVRA CAP. VI.

Secunda Figura dispositio est trium terminorum: qua medius vtrique extremo attribuitur. Modos itidem quatuor habet. Vel enim è duabus vniuersalibus propositionibus, maiore negante, minore affirmante, conclusionem efficit vniuerse negantem: vel contrà, è maiore affirmante, minore negante, vtraque

vtraque tamen vniuersali, conclusionem in toto negantem: vel è maiori in toto negante, minore in parte affirmante, conclusionem in parte negantem: vel denique è maiori in toto affirmante, minori in parte negante conclusionem in parte negantem.

Horum Modorum notæ sunt, Cesare, Camestres, Festino, Baroco: exempla:

Ces	*Nihil æternum contrariis constat:*
ar	*Quicquid ortũ est, id cõtrariis cõstat: ergo*
e	*Nihil quod ortum est æternum est.*
Cam	*Quicquid ortum est, id contrariis constat:*
estr	*Nihil æternum contrariis constat: ergo*
es	*Nihil æternum ortum est.*
Fest	*Nihil æternum contrariis constat:*
in	*Quædam corpora contrariis constant: ergo*
o.	*Quaedam corpora non sunt æterna.*
Bar	*Quicquid ortum est, id contrariis constat:*
oc	*Quoddam corpus cõtrariis non cõstat: ergo*
o.	*Quoddam corpus non est ortum.*

Proprietas huius Figuræ gemina est: vt maiorem semper vniuersalem habeat: conclusionem verò semper negantem.

Vtriusque causa in Isagoge declaratur. Scien-

dum

dum tamen, aliquando etiam affirmantem in hac Figura conclusionem ritè concludi: cùm scilicet maior propositio terminus reciprocis constat. tunc enim Syllogismus δυνάμει in Prima est, & vi Primae concludit. Materia itaque, non Forma, talis conclusionis siue consecutionis causa est.

DE POSTREMA FIGVRA.

CAP. VII.

Tertia Figura dispositio trium terminorum est, qua medius vtrique, maiori & minori, subiicitur. Species Concludendi sex habet. Vel enim è duabus in toto affirmantibus propositionibus cõclusionem in parte affirmantem efficit: vel è maiore negante, minore affirmante, sed vtraque vniuersali, in parte negantem: vel è maiore in parte, minore verò in toto, affirmãte, particularem affirmantem: vel contrà, maiore in toto, minore verò in parte, affirmante, particularem affirmantem: vel è maiore particulari & negante, minore vniuersali & aiente, particularem negantem: vel denique è maiore in toto negante, minore in parte affirmante, particularem negantem.

NOTAE

NOTAE *Modorum sunt, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.* Ex- *empla:*

Dar *Quicunque iusti sunt fide, hi pacem habent apud Deum:*
apt *Quicunque iusti sunt fide, hi student sanctæ vitæ:* ergo
i. *Quidam, qui sanctæ vitæ student, pacem habent apud Deum.*

Fel *Nulli hypocritæ Deo placent:*
apt *Omnes hypocritæ sanctitatem præ se ferunt:* ergo
on. *Quidam qui sanctitatem præ se ferunt Deo non placent.*

Dis *Quidã verè credẽtes magnos habẽt næuos:*
am *Omnes verè credẽtes à Deo diligũtur:* ergo
is. *Quidam qui à Deo diliguntur, magnos habent næuos.*

Dat *Omnes hypocritæ superbi sunt:*
is *Quidam hypocritæ indocti sunt:* ergo
i. *Quidam indocti superbi.*

Boc *Quidam credentes non seruantur:*
ard *Omnes credentes Dei verbũ audiunt:* ergo
o. *Quidam, qui Dei verbum audiunt, non seruantur.*

Fer *Nulli reprobi seruantur:*
is *Quidam reprobi pij videntur:* ergo
on. *Quidam, qui pij videntur, non seruantur.*

Pro-

Prorium est huic Figuræ, vt minorem semper habeat affirmantem, conclusionem verò particularem.

Vtriusque causam in Isagoge declarauimus. Nonnunquam tamen in hac etiam Figura vniuersalis efficitur: cùm scilicet minor est reciproca. tunc enim vi Primæ concludit & ob materiam, vt modo de secunda dicebamus. Exemplum:

Quicquid ratione præditum est, id mortale est:
Quicquid ratione præditum est, id homo est:
igitur, Omnis homo mortalis. Conuerte minorem simpliciter: & primam figuram habes.

DE IMPERFECTORVM SYLOGISMORVM PERfectione.

CAP. VIII.

Perficere Syllogismum, est latentem in eo consecutionis necessitatem conspicuã reddere: quod fit, vel conuersione Syllogismi mediæ tertiæque Figuræ in Syllogismum primæ: vel demõstratione per impossibile: vel expositione.

Conuertitur syllogismus mediæ tertiæq; figuræ in syllogismũ primæ, cõuersis & transpositis propositionibus: & aliquando quidem sola conuersio sufficit: aliquando vero vtraque opus est, conuersione & trans-

& transpositione. Est autem transpositio nihil aliud, quàm quòd maior in locum minoris, & haec in illius, collocatur.

Vt verò conuerti transponique ritè propositiones poßint, notandae sunt quatuor illae Modorum vocales, A. E. I. O: quae nam ex iis primum in singulis Modis locum obtineat, quae secundum, quae tertium: quae itidem consonans quam vocalem proximè consequatur. docet enim illa consonans, quae propositio vel transponenda sit, vel conuertenda: & quo modo sit conuertēda. Tales Consonantes quatuor sunt: & in mediae tertiaeque Figurae modis inueniuntur, S. P. M. C. Ex his consonās S. nota est simplicis conuersionis: P. conuersionis per accidens: M. metatheseos, transpositionis: C. verò indicat, Syllogismos illius Modi, in cuius medio litera C. reperitur, vt fit in Baroco & Bocardo, in primae Figurae Syllogismos conuerti non posse, sed per impoßibile duntaxat demonstrari. Illa ergo propositio, quae vocali, literam S. proximè praecedente, denotatur, simpliciter est conuertenda: quae literam P, per accidens: quae literam M, transponenda.

Postremò notandae sunt primae singulorum, tum secundae tertiaeque, tum primae Figurae Modorum literae. Indicant illae, qui Modi secundae tertiaeve Figurae ad quos primae Figurae Modos reducantur. reducuntur enim mediae tertiaeque Figurae Modi ad illos primae, quibuscum

primam

primam literam eandem habent, velut ad Celarent, Cesare, Cameſtres, ad Darij, Darapti, ad Ferio, Feſtino, Feriſon &c.

His obſeruatis, facilis eſt Reductio. Ceſare ad Celarent reducitur, ſola maioris cõuerſione: quia ſolum S. è quattuor illis conſonantibus in eo locum habet: Cameſtres ad eundem modum Celarent: ſed maiore in minoris locum transpoſita, cuius rei litera M, quæ vocalem A, ſequitur, nota eſt: minore dein & concluſione ſimpliciter conuerſa: quod geminum S. geminum E conſequens, indicat. Darapti ad Darij reuocatur, minore per accidens conuerſa: quod poſtulat litera P, alterum A, conſequens. Et ſic de ceteris.

Demonſtratio per impoßibile neque conuerſione eget, neque transpoſitione: ſed hoc modo fit. Aſſumitur contradictio concluſionis negatæ, & cum ea altera duarum propoſitionum, quarum vtraque, vt vera, admiſſa eſt, efficiturque concluſio contradicens alteri, quæ relinquitur propoſitioni: idque in prima Figura, cuius manifeſta eſt conſecutio. Exemplum:

Omne corpus loco continetur:
Nullus ſpiritus loco continetur: ergo
Nullus ſpiritus corpus eſt.

Syllogiſmus eſt in Cameſtres: cuius concluſio negatur: quòd media Figura vim concludendi non habeat. Sumitur ergo concluſionis contradictio: quòd in omni contradictione alterutra pars

vera sit: & cum ea altera propositio: concludi-turque contradicens relictæ in Prima, hoc modo:

Omne corpus loco continetur:
Quidam Spiritus corpus est: ergo
Quidam Spiritus loco continetur: quod minori relictæ contradicit.

Eadem Syllogismorũ Tertiæ ratio est. hoc interest, quòd in perfectione Syllogismorum secundæ Figuræ minoris propositionis contradictio concluditur, in perfectione tertiæ, maioris: & quòd aliquando in tertia contraria relictæ concluditur, non contradicens.

Atque hi duo perfectionis modi, Conuersio, & demonstratio per impoßibile, Syllogismis tertiæ Figuræ cum Syllogismis mediæ communes sunt: tertius, qui Expositionis est, tertiæ proprius est. Est autem Expositio, sic dicta, quòd communis terminus singulari exponatur, & ob oculos quasi ponatur, cùm sub medio tertiæ Figuræ, quod commune est, aliquod singulare sumitur, eique vtrunque extremum iungitur, vt antè medio communi, itaque eadem, quæ antè, conclusio efficitur, vt,

Omnis homo mortalis est:
Omnis homo substantia est: ergo
Quædam substantia mortalis est.

Petrus mortalis est:
Petrus substantia est: ergo

Quæ-

Quædam substantia mortalis est.

Hîc sensus quasi testimonio prioris Syllogismi bonitas comprobatur.

Fundamentum Expositionis est, quòd quæ in vno tertio singulari conueniunt, vel non conueniunt, ea inter se quoque cohærent, vel non cohærent.

DE PROPOSITIONVM COPIA ET MEDII inuentione.

CAP. IX.

Vt propositam quæstionem siue conclusionem probare, & multis ad eam probandam argumentis atque propositionibus abundare posśimus, ponenda primò sunt illius tum definitiones, tum propria: deinde videndum, quæ vel de subiecto, vel attributo, conclusionis dici posśint, itidemque quibus illa attribui posśint: quæ præterea neutri, neq; subiecto, nec attributo cõclusionis competãt.

ADHVC structura Syllogismi sequitur inuentio medij: sine quo Syllogismus construi nequit. Est autem hæc generalis inueniendi ratio, qua quoduis promiscuè medium inuenire docemur, seu

necessarium sit, seu probabile: constatque duabus partibus: quarum prior docet, vnde media, propositionumque copia sit comparanda: posterior, quod medium cui conclusioni efficiẽdæ sit accommodatum. Prior pars his, quæ scripsi, verbis continetur.

Vt intelligatur, sciendum est, nos nunquam temere ad ratiocinandum accedere, sed, quotiescunque de Syllogismo struendo, cogitamus, propositam nobis esse certam quæstionem, quam probare volumus: idque vel in partem affirmantem, vel negantem. Hæc quæstio, in conclusionem & enunciatum conuersa, subiecto constat & attributo: è quibus medium depromitur, considerata primùm vtriusque definitione, & propriis, quæ sunt, genus, differentia, proprium: dein accidentibus, seu causæ illa sint; seu effecta, quæ nam ex illis apta sint, vt de subiecto vel attributo conclusionis dicantur, itaque locum obtineant attributorum: de quibus item subiectum & attributum conclusionis dici poßint. Hoc enim necessarium est, vt sciamus, quod medium cui Figuræ sit accommodatum: cùm medium in Prima vtrunque sit, subiectum & attributum.

Sunt etiam consideranda repugnantia, quæ vel subiecto, vel attributo conclusionis inesse non possunt. Hæc enim ad negantem conclusionem efficiendam requiruntur. Exempla obuia sunt.

Cognitis duorum extremorum, subiecti,

iecti, inquam, & attributi conclusionis, definitionibus, propriis, accidentibus tum subiici, tum attribui aptis, itemque repugnantibus, videndum porrò est, qualis nam conclusio sit concludenda. aliter enim vniuersalis, aliter particularis, efficitur, aliter affirmans, aliter negans.

Posterior Inuentionis pars, de delectu habendo inter terminos medios. Conclusio proposita vel vniuersalis est, vel particularis: & vtraque vel affirmans, vel negans. Vniuersalis affirmans in prima duntaxat Figura, & primo illius Modo concluditur. Videndum igitur est, num inter illa, quæ è duobus extremis depromsimus, media, seu propria illa sint, siue communia, aliquod sit, de quo maius extremum, seu conclusionis attributum, vniuersè dici, & quod vicissim minori extremo, siue subiecto conclusionis, omni, seu vniuerse attribui possit. Hoc enim appositum erit, ad conclusionem in Barbara concludendam. Esto conclusio probanda, Omne corpus loco contineri: medium, quia longum, latum, profundum: quæ corporis est differentia: & maiori extremo vniuerse subiicitur, de minori verò toto dicitur:

Quicquid longum, latum, profundum est id loco continetur:
Omne corpus longum, latum, profundum est:
igitur Omne corpus loco continetur.

Particularis affirmans vel in Darij concluditur: vel in Darapti, Disamis, & Datisi. Sumendum ergo medium ex iis quæ inuenta sunt, quod vel totum maiori extremo subiiciatur, & cui vicissim minus ex parte subiiciatur: vel quod vtrique, maiori & minori extremo, aut certè alteri, totum, alteri vero ex parte subiiciatur. Quæstio sit, vtrum aliqua substantia interitui sit obnoxia: Conclusio particularis affirmans, Quædam substantia interitui est obnoxia: medium, vtrique extremo vniuerse subiici aptum, & tum attributi causa efficiens, tum materia subiecti, quia è contrariis constat.

Quicquid è contrariis constat id obnoxium est interitui:

Quicquid è contrariis constat id substantia est: igitur

Aliqua substantia obnoxia est interitui.

Et sic de ceteris tribus modis, quibus particularem affirmantem effici diximus.

Vniuersalis negans in Celarent, Cesare, Camestres efficitur. Quærendum ergo medium, de quo vel maius extremum toto & vniuerse negetur, & quod de minore extremo toto seu vniuerse affirmetur (sic enim in Celarent efficietur) vel quod de alterutro extremo vniuerse affirmetur, de altero verò toto negetur. sic enim ad Modum Cesare, vel Camestres quadrabit.

Particu-

Particularis negans omnibus tribus Figuris efficitur : & quidem ſex Modis. Ad eam itaque concludendam ſumendum eſt medium, quod vel Primæ, vel mediæ, vel tertiæ Figuræ diſpoſitioni ſit accommodatum, quodque de altero extremo, pro Modi ratione, negetur.

DE DIVISIONE.

CAP. X.

Diuiſio oratio eſt, qua genus in ſpecies per differentias diſtinguitur.

PRAECIPITVR *hîc de Diuiſione: quia Syllogiſmus quidam eſſe videtur : & pro Syllogiſmo habita eſt ab Antiquis. Numerantur autem quinque Diuiſionis genera : vna, Generis in ſuas Species: altera, Subiecti in ſua accidentia, vt bos alius niger eſt, alius albus : tertia, accidentis in accidentia, flauum aliud dulce, aliud amarum eſt : quarta, totius in partes, vt animalis alia pars eſt anima, alia corpus : extrema, homonymi in ſuas ſignificationes, vt fides alia viua eſt, alia mortua. Ex his ſola Generis in ſuas Species diſtinctio vera diuiſio eſt, quam definiuimus.*

Diuiditur Genus in Species, si Generi, quodcunque sit, plures differentias, Specierum effectrices, iungas. Sicut enim Genus specificâ, quam uocant, differentia ad Speciem restringitur: ita si duas ei pluresve differentias adiicias, ad plures id Species restringis, pluresque Species constituis, vt. Substantia alia corporata est, alia corporis expers, &c.

Neque verò putandum est, diuisionem vi Syllogistica præditam esse. Syllogismus enim, vt patet ex illius definitione, suapte virtute & necessariò conclusionem efficit: Diuisio verò id quod vult precariò duntaxat obtinet.

Concludere volo Diuisione, Hominem esse ratione præditum. Sumo Genus subiecti, quod notum est, animal; idque differentiis, itidem notis, diuido, hoc modo: Omne animal vel ratione præditum est, vel ratione destitutum: Omnis homo animal est: quid sequitur? igitur, omnis homo vel ratione præditus est, vel ratione destitutus. hoc tantùm sequitur. alterum, quod Diuisor quærit, & sumit, homo ratione præditus est, vi Diuisionis non habetur, sed absque omni consecutionis necessitate sumitur, & alteri membro præfertur. Quin etiam bimembris illa conclusio, quod amplius est, non vi Diuisionis, sed vi Syllogismi efficitur, qui cùm Diuisione permiscetur.

DE ANALYSI, SEV RESOLVTIONE SYLLOGISMORVM.

CAP. XI.

Primò omnium duæ Syllogiſmi propoſitiones ſunt excerpendæ, & videndum, vtra in toto ſit, vtra in parte. quòd ſi non vtraque poſita ſit, ſupplenda eſt quæ deeſt. Dein in terminos diuidendæ ſunt propoſitiones, conſiderandumque, num ea terminorum diſpoſitio ſit, de qua dictum eſt in Figuris.

TERTIA pars, ad naturam Syllogiſmi pertinens, & ad iudicium Syllogiſticum neceſſaria: qua docemur, Syllogiſmum confuſum atque diſperſum, quod cum primis in ſcripto ſit, ad Figuram & Modum reuocare, & vtrum quod propoſuit, probet necne, diiudicare. Fit id hoc modo: Cognita & perſpecta concluſione, quæ probatur probarive dicitur, inquirendum eſt in duas propoſitiones, è quibus efficitur, quæ nam illæ ſint, & vbi ſint. quòd ſi vtraque ponitur, videndum eſt, num vtraque, an alterutra vniuerſalis ſit, vtra itidem vniuerſalis ſit, vtra particularis. Sic enim Figura Modusque cognoſcetur. Quòd ſi non vtraque ponatur, ſupplen-

plenda est quæ deest. Crebrius enim altera propositio, tam maior, quam minor, tacetur. crebrius etiam omissæ loco ratio ponitur. non rarò alienum quid, & ad confirmationem nihil faciens, admiscetur. Videndum ergo diligenter, quæ conclusio è quibus propositionibus efficiatur: quibus item propositiones illæ, vel ambæ, vel alterutra, confirmentur. Dein hæ duæ propositiones in tres terminos sunt resoluendæ, videndumque, quis nam ex illis maior sit, quis minor, quis medius, an sic inter se cohæreant, vt dictum est antè. Si ita cohærent, conclusio sequitur: si non ita, non sequitur.

Confert ista pars plurimum etiam ad docendum. Vt enim cum fructu doceas, analysi primò omnium opus est. Autorem igitur & Scriptum quoduis resoluturus primò videre debet, quæ princeps, vel totius Scripti, vel certæ alicuius partis quæstio sit atque conclusio: deinde, quæ & quales propositiones, è quibus efficitur, construendusque Syllogismus, & illius singulæ partes, quæ quidem ponuntur, vnà cum confirmationibus, in Autore monstrandæ, indicatis simul iis quæ omissa sunt. Exempla Commentarius noster in Acroasin suppeditare potest.

SYL-

SYLLOGISMO PLVRES VNA CONCLVSIONES EFFICI.

CAP. XII.

Cum Syllogiſmorum alij quidem vniuerſales ſint, alij verò in parte: vniuerſales quidem omnes plura concludunt: particularium autem affirmantes quidem plura, negantes verò ſolam concluſionem.

HACTENVS altera Syllogiſmi pars, ad naturam illius attinēs, explicata eſt: altera ſequitur in proprietatibus. Proprietates Ariſtoteles nouendecim lib.2. Prior. Analyt. *percenſet: è quibus aliquot delibabimus. Prima eſt, quòd omnes Syllogiſmi, vnico illo, qui in parte negans eſt, hoc eſt, qui concluſionem in parte negantem efficit (affirmans enim & negans, vniuerſalis & particularis Syllogiſmus dicitur ob concluſionem) plures vnâ concluſiones efficiunt: ſed vnam actu, ceteras* δυνάμει. *Efficiunt enim primùm concluſionem propoſitam actu: dein illius cōuertētem* δυνάμει. *Sic iiſdem propoſitionibus, quibus hæc efficitur cōcluſio, Quicquid genitū eſt id interit, etiā hæc efficitur, Omne, vel Quiddam quod interit genitū eſt: quibus hæc, Nihil ortu vacans interit, etiam hæc, Nihil quod interit ortu vacat. Cauſa earum conuerſio eſt.*

Vniuer-

Vniuersales deinde primæ Figuræ Syllogismi, seu affirmantes sint, seu negantes, etiam alia ratione, eaque gemina, plura concludunt. Quod enim de minore extremo concluditur, id eâdem necessitate cum de omni eo concluditur, quod sub minore extremo, subiectoque conclusionis, tum de eo, quod sub medio termino, perinde, vt subiectum conclusionis, continetur. Exemplum:

Omne corpus circumscriptum est:
Omne animal corpus est: igitur
Omne animal circumscriptum: igitur
Omnis homo, Omnis equus, circumscriptus est.

Nam conclusio maior fit: sub cuius subiecto pars assumitur:

Omne animal circumscriptum est:
Omnis homo, equus, animal est: igitur
Omnis homo, equus, circumscriptus.

Eodem modo concluditur quod sub medio continetur, igitur, quicquid animatum est, circumscriptum est:

Omne corpus circumscriptum est:
Quicquid animatum est id corpus est: ergo
Quicquid animatū est id circumscriptum est.

Exemplum planius.

Omne animal sentit:
Omnis homo animal est: igitur
Omnis homo sentit.

Igitur Petrus, igitur equus, sentit.

Omnis homo sentit:

Petrus

Petrus est homo:
Petrus itaque sentit,

Omne animal sentit:
Omnis equus est animal: igitur
Omnis equus sentit.

Vniuersalis igitur affirmans primæ Figuræ Syllogismus quatuor conclusiones efficit, propositam, conuertentem, & ceteras duas. Negantis eadem planè ratio. De ceteris Syllogismus & Figuris Isagogen & Aristotelem consule.

DE CONCLVSIONE VERA EX PROPOSITIONIBVS FALSIS.

CAP XIII.

Ex veris nunquam falsum, ex falsis quandoque verum efficitur.

SENSVS *est, Si vtraque propositio vera sit, veram quoque conclusionem esse: sin vel vtraque, vel alterutra, falsa, conclusionem non idcirco perpetuò falsam, sed aliquando quoque veram esse posse. Exemplum:*

Omnis lapis animal est:
Nullus homo animal est: ergo
Nullus homo lapis est.

Omnè album animal est:
Omnis cycnus albus est: igitur
Omnis cycnus animal est.

Causa est, quòd sicut se species habet ad genus: ita se propositiones habent ad conclusionem: quæ conclusione, vt quæ aliis quoque propositionibus effici potest, sunt angustiores. Sicut ergo specie posita, genus ponitur, non contrà: & genere euerso Species euertitur, non contrà: ita propositionibus positis, hoc est, veris, vera quoque cõclusio est, non contrà: & euersa conclusione, hoc est, falsa, falsæ quoque propositiones sunt, non contrà.

DE HYPOTHETICO SYLLOGISMO.

CAP. XIIII.

Hypotheticus Syllogismus est, cuius maior propositio composita est, & cuius altera pars minorem constituit, altera conclusionem: estque vel Coniunctus, vel disiunctus.

HYpotheticus Syllogismus est qui loco maioris propositionis vel hypotheticam habet, vel disiunctam, (tertia enim compositæ Enunciationis species ad hanc rem inepta est) & loco minoris alteram illius partem, vnde altera concluditur. Vterque, seu maior hypothe-

hypothetica sit, siue disiuncta, Hypotheticus dicitur: quia neuter ex necessitate, vti Categoricus, sed vterque ex pacto duntaxat, concludit: eo quòd illa dispositio vi concludendi vacat.

Coniunctus ergo dicitur, cùm maior est hypothetica, Disiunctus, cùm disiuncta. exemplum illius:

Si Deus quantus est, circumscriptus est:
Sed non est circumscriptus: ergo
non quantus. Huius:
Cælum vel simplex corpus est, vel compositum:
Sed non hoc:
igitur illud.

Conuictus iterum geminus est. Vel enim quatuor concludendi species habet: vel duas tantùm. quatuor habet, si antecedens & consequens Hypotheticæ reciprocant: duas tantùm, si consequens communius est antecedente.

Materia, non forma, causa conclusionis est in Hypotheticis. Si igitur hypothetica terminis reciprocis constat, quatuor modis Coniunctus Hypotheticus concludit. Vel enim antecedens maioris, loco minoris ponitur; ad maioris consequens efficiendum: vel contrà, consequens, ad efficiendum antecedens: vel euersio consequentis, ad antecedentis euersionem concludendam: vel denique euersio antecedentis ad efficiendam euersionem consequentis. Exempla.

Si Sol

Si Sol ortus est, dies est:
Sed Sol ortus est: ergo
Dies est. Vel,
Sed dies est: ergo
Sol ortus est. Vel,
Sed dies non est: ergo
Sol non est ortus. Vel denique,
Sed Sol ortus non est: ergo
Dies non est.

Quòd si consequens antecedente communius est, duobus duntaxat modis concludit, consequens scilicet ex antecedentis positione, & antecedentis euersionem ex euersione consequentis.

Si homo est, animal est:
Sed homo est: igitur
animal est. Vel,
Sed animal non est: ergò
non homo.

Disiunctus quatuor species habet. Vel enim loco minoris maioris antecedens ponitur, & efficitur euersio consequentis: vel maioris consequens, & antecedẽtis euersio concluditur: vel euersio antecedentis, & efficitur consequẽs: vel denique consequentis euersio, & concluditur antecedens.

Causa est, quòd maior disiuncta partibus contradicentibus constat, cõstareq; debet. Exempla:

Cælum

Cælum vel simplex est, vel compositum:
Sed simplex est: ergo
non compositum. Vel,
Sed compositum est: ergo
non simplex. Vel,
Sed simplex non est: ergo
compositum. Vel denique,
Sed compositum non est: ergo
Simplex.

Quo verò modo ad Categoricos Hypothetici reuocentur, expositum est in Isagoge.

DE SYLLOGISMO PER IMPOSSIBILE.

CAP XV.

Syllogismus per impossibile est, cùm illius, quod concludendum est, contradictio sumitur: & cum ea aliqua propositio manifestò vera: concluditurque conclusio apertè falsa: ex qua dein id quod probandum est, hypothetice efficitur.

SYLLOGISMVS iste species quædam est Hypothetici: quia partim Categoricus, partim Hypotheticus: idque propterea, quia duobus processibus constat: quorum prior Categoricus est, posterior Hypothe-

ticus. Priori falsa conclusio, & τὸ ἀδύνατον efficitur: posteriori vera, quam probare constitueramus. Quicquid itaque directè & Categoricè concludi potest, id quoque per incommodum & δι' ἀδυνάτου, efficitur, si illius, quod ab aduersario verum esse negatur, cùm verum sit, nobisque confirmandum est, contradictio sumatur, & cum ea alia propositio, manifesto, etiam aduersarij confeßione, vera. Sic enim falsum efficitur: ex quo nostra conclusio hypotheticè, Hypothetico scilicet Coniuncto, concluditur. Exemplum: Negatur, Omne corpus circumscriptum esse: quæ maior est Syllogismi mei, quo probo, Christi corpus circumscriptum esse. Sumo contradictionem illius, Quoddam corpus non est circumscriptum: & cum ea propositionem conspicuæ veritatis, & ab aduersario concessam, siue, quam ne aduersarius quidem negauerit: cuiusmodi hæc est, Quicquid trina dimensione præditum est, id circumscriptum est. Hinc ita Categoricè falsum efficio:

Quicquid trina dimensione præditum est, id circumscriptum est:
Quoddã corpus non est circumscriptum: ergo
Quoddam corpus non est præditum trina dimensione: Sed falsa conclusio est, etiam aduersarij confeßione: falsa ergo vel vtraque, vel alterutra, propositio: cùm è veris nihil nisi verum

vt ostensum est, consequatur. sed maior falsa non est. falsa ergo minor: cuius consectarium est, contradictionem illius veram esse, Omne corpus circumscriptum esse: quæ maior erat mei Syllogismi, mihique contra aduersarium confirmanda. Atque hic alter, & Hypotheticus processus est:

Si falsa & absurda conclusio est, falsa quoque necessariò vel vtraque, vel alterutra propositio:

Sed verum prius:

Verum igitur & posterius: Cùmque maior vera sit, non falsa: liquet, minorem falsam, & veram illius esse contradictionem.

Fundamentum igitur huius ratiocinationis geminum est. alterum, quòd è veris propositionibus falsa conclusio Syllogisticè nunquam efficitur: alterum, quòd omnis contradictionis alterutra pars vera est ex necesitate: quod qui euertere conantur, ij veritatem, omnemque rerum certitudinem è medio sublatam cupiunt.

DE INDVCTIONE.

CAP. XVI.

Inductio ratio est, qua maius extremum medio inesse per minus efficitur.

RATIO, siue transitus à noto ad ignotum, commune genus est Syllogismo cum Inductione, eoque cum Exemplo & Enthymemate. Inductio igitur eiusmodi ratio est: in qua tres quidem termini sunt: sed quorum minor causa est, cur maior medio insit, vel non insit: quod contrà fit in Syllogismo: vbi medius causa est, cur maior minori insit, vel non insit.

Vt verò minor, siue minus extremum, causa sit, cur maius extremum medio vel attribuatur, vel non attribuatur, necessum est, vt ex omnibus constet singularibus: quòd omnia singularia idem valeant cum vniuersali. Exemplum:

Equus est longæ vitæ, asinus itidem, mulus & quæcunque paucæ choleræ sunt: igitur
Omne animal paucæ choleræ est longæ vitæ.

Syllogismus ita concluderet:

Omne animal paucæ choleræ est longæ vitæ:
Mulus animal est paucæ choleræ: ergo longæ vitæ.

Vtilis est Inductio ad probandum quod vniuersali medio probari nequit: estque nobis notior Syllogismo: quòd è singularibus & sensu notis, concludit. Reducitur ad Syllogismum, si singularia loco medij ponantur, hoc modo:

Equus, mulus, asinus, ceteraque paucæ choleræ anima-

animalia, longæ vitæ sunt:

Equus, mulus, asinus, ceteraque paucæ choleræ animalia sunt omne animal paucæ choleræ: igitur

Omne animal paucae cholerae est longæ vitæ.

Vniuersalem enim conclusionem in tertia quoque Figura quandoque concludi, in tertia Figura diximus.

DE EXEMPLO.

CAP. XVII.

Exemplum est ratio, qua medio maius extremum inesse monstratur, per quoddam simile tertio.

VT definitio intelligatur, sciendum est, Exemplum imperfectam Inductionem esse: quia conclusionem non ex omnibus, vt illa, singularibus, sed vel ex vno tantùm, vel è paucis, efficit: & deinde quia medio maius quidem extremum inesse probat: sed per quartum quoddam, tertio simile, non per ipsum tertium, vt Inductio.

Quatuor igitur in Exemplo termini sunt: primus, siue maius extremum: alter, siue medius, qui in Syllogismo medius est: tertius, seu minus extremum, quod singulare est: quartus, aliud singulare, tertio simile.

Constat autem integrum Exemplum duobus

processibus: è quibus prior Inductio est imperfecta: posterior Syllogismus singularis in Prima. Exemplum:

Iulianus apostata, Hymenæus, Philetus, Spiera, miserè perierunt: igitur

Omnis apostata miserè perit. *En Inductionem imperfectam. Hinc, ex conclusione vniuersali, quæ imperfecta Inductione effecta est, conclusio tandem proposita, quæ aliud singulare est, hoc pacto concluditur:*

Omnis apostata miserè perit:
Iste apostata est: ergo
miserè peribit.

Priori processu monstratur, maius extremum, videlicet, miserè perire, inesse medio, quod est, apostatam esse, per quoddam tertio siue minori extremo simile, quod est, Iulianus, Hymenæus &c. tertium enim seu minus extremum, est, iste: cui similis est Iulianus. posteriori processu maius extremum minori & tertio inesse monstratur, per secundum & medium. Hoc igitur integrum Exemplum est: quia è singulari aliud singulare nulla consequentiæ necessitate efficitur, nisi vniuersali interueniente.

Vulgò breuius proponitur: ita tamen, vt quatuor terminis constet: quibus duplex ille processus innuitur.

Iulianus apostata miserè perijt: igitur
hic etiam apostata miserè peribit.

Maius extremum est, miserè perire: medium, apostata: tertium de quo probandum est, hic: quartum, tertio simile, Iulianus.

DE ENTHYMEMATE.
CAP. XVIII.

Enthymema Syllogismus est imperfectus, icotibus aut signis constans.

IMperfectus Syllogismus Enthymema est: quia alterutra duntaxat propositio ponitur. Differentia Enthymematis est, quòd vel ex icotibus constet, vel è signis. Est autem icos propositio probabilis, & plerunque vera, vt homines amare solent eos, à quibus amari se norunt, benefacere benefacientibus, offensi vindictam appetere. Signũ est quod sensu percipitur, & aliquid portendit, velut rubor cœli in aurora signum est pluuiæ, rubor vespertinus signum bellæ tempestatis, pallor faciei malæ concoctionis, morbi, vel amoris. Est autem signum aliud quidem necessarium, quod nunquam fallit: aliud probabile, quod quandoque fallit: & vtrunque vel rei est præteritæ, vel præsentis aut futuræ. Ex his hoc pacto ratiocinamur: atque ex icotibus quidem:

Clodius offensus est à Milone:
fuit ergò vindictæ cupidus. Vel,

Offensus vindictæ cupidus est: ergo
Clodius vindictæ cupidus erat.

Cùm enim maior tacetur, ibi subicotis subiecto pars eius assumitur, & de ea subiectum icotis in antecedente, in consequente verò icotis attributum dicitur: cùm verò minor tacetur, ibi totum icos antecedentis loco ponitur, & de subiecti parte icotis attributum concluditur.

E signis autem ratiocinantes antecedentis loco signum ponimus, & loco consequentis id quod significatur, vt,

Iste pallet: igitur
ægrotat.

DE DILEMMATE.

CAP. XIX.

Dilemma est, quo duo ita collocantur, seu interrogando, seu enunciando id fiat, vt aduersarius vtroque capiatur.

Matth. 19. *HVIVS modi Seruatoris illud est: Baptisma siue doctrina Iohannis, est ne de cœlo, an ex hominibus? Si de cœlo, cur ei non creditis: sin ex hominibus, cur ad vnum omnes eum habent pro Propheta? Huius generis est, vel verum dixi, vel falsum: Si verum, cur illud calumniaris? Si falsum, demonstra. Sed de Dilemmate*

lemmate

lemmate ſatis, quod ad Hypotheticum Diſiunctum reuocatur, & accidens quoddam illius eſt.

Finis Libri tertij, totiusque partis Communis.

INSTITVTIONIS LOGICAE PARS altera ſiue propria.

DE DEMONSTRATIONE LIBER PRIMVS.

QVID DEMONSTRATIO SIT. CAP. I.

Demonſtatio Syllogiſmus eſt, ſcientiam pariens.

SYLLOGISMVS, de quo præcedente libro diximus, genus eſt, ſpeciebus tribus commune: ſcientiam parere, differentia, qua genus ad ſpeciem, ad demonſtratiuum Syllogiſmum, reſtringitur. Demonſtratio ergo, ſeu, demonſtratiuus Syllogiſmus, Syllogiſmus eſt,

est, quo scientia comparatur, hoc est, quo talis conclusio efficitur, quæ necessaria est, & aliter se habere non potest. Scientia enim, propriè sumta, cognitio est conclusionis demonstratiuæ, & per medium necessarium effectæ. Talis itaque conclusio demonstratiuo Syllogismo efficitur: quia medium demonstratiui Syllogismi non quoduis medium est, sed medium necessarium, prima simpliciterque proxima maioris extremi causa, à qua maius extremum suum esse habet: quod medium vtrique iunctum extremo necessarias tum propositiones efficit, tum conclusionem. Vt enim Syllogismus demonstratio sit, necesse est, vt tum conclusio necessaria sit, tum propositiones: vtque conclusio necessaria sit, per & propter propositiones: quod fit, cùm omnes tres termini de omni sunt, per se, vniuersales & καθόλȣ.

DE TRIBVS ILLIS NECESSARIARVM ENVNCIATIONum conditionibus, de omni, per se, vniuersale.

CAP. II.

De omni illud dicitur quod omni & semper inest:

PRIMA necessariæ enunciationis conditio est, vt attributum omni seu toti subiecto insit: vt semper ei insit. Temporis enim perpetuitas necessitatem efficit in enun-

enunciatione. Sic ista, homo est animal, de omni est: quia quicunque homo est, is etiam animal est: & quidem semper. Sic ista, similesque, de omni est, Cycnus albus est: quia omnis cycnus, & semper, albus est. Hæc autem, & similes, Omnes Regni Proceres VVarsauiæ sunt, de omni non est: quia temporis vacat perpetuitate.

Aliud igitur est enunciatio de omni, κατὰ παντὸς, aliud enunciatio vniuersalis, cuius vniuersitas in signo duntaxat vniuersali consistit. sicut etiam aliud hoc de omni est: aliud dici de omni, quod integrum Syllogismum esse diximus.

Per se verò attributa subiectis insunt, tum quæcunque subiectis vt partes essentiales insunt, eoque in subiectorum definitionibus sumuntur: tum quæ ita subiectis insunt, vt sine subiectis suis definiri nequeant: tum quæ substantiæ hyparxin declarant: tum denique illa, quæ propria externarum causarum effecta sunt, & ob eas subiectis insunt.

Altera necessitatis cōditio, priori maior: quippe quæ temporis perpetuitati nexum insuper essentialem inter subiectum & attributum addit. Attributum enim subiecto per se inesse, non tantùm est, omni subiecto semper inesse: sed etiā essentialiter, essentialique nexo cum subiecto cohærere.

Enun-

Enunciatio ista, Cycnus albus est, de omni quidem est: sed non per se: quia cycnus & albor essentiali, definitionisque nexo non cohærent: cùm neque cycnus albore definiatur, nec albor cycno. Alia istarum, homo animal est, numerus par aut impar est, ratio est.

Sunt autem quatuor modi per se: quorum primus eas enunciationes complectitur, in quibus attributum subiecti causa est, & pars essentialis, sine qua definiri subiectum nequit: suntque attributa primi modi quinque, genus, differentia, tota, genere & differentia constans, definitio, pars generis, pars differentiæ: quæ generis & differentiæ partes geminæ sunt, proximi generis & differentiae partes, remotum genus atque differentia. Exempla: Homo est animal: homo ratione praeditus est: homo est animal ratione praeditum: Natura est causa (totum enim Naturae genus, est principium & causa) homo est corpus: corpus est longum (nam integra corporis differentia est, longum, latum, profundum) homo sentiens est. sentiens enim remota hominis differentia est, sicut corpus genus illius est remotum.

Secundo modo per se insunt propriae rerum affectiones, siue proprietates, quae formam rei consequuntur, seu quod eôdem redit, quicquid proprium est quarto modo. Hoc enim definiri nequit, nisi mentio subiecti fiat in definitione. Huius modi sunt, Homo est vi ad ridendum praeditus;

tus: numerus est par aut impar: nasus est simus: corpus est circumscriptum. Vis enim ad ridendum, par aut impar, simitas, circumscriptio, definiri non possunt, nisi mentio subiectorum fiat in definitionibus, veluti, vis ad ridendum affectio est & accidens hominis; par aut impar numeri, simitas nasi, circumscriptio corporis, &c. Quem ad modum igitur in primo modo attributum subiecti causa est: ita contrà hîc subiectum attributi.

Tertio modo per se hyparxis, seu ipsum esse, τὸ εἶναι, de substantia dicitur, hoc est, ad tertium per se modum illa pertinent enunciata, quibus de substantia, tum prima, tum secũda, dicitur, quòd sit & subsistat. Substantia enim per se, non per aliud, est & subsistit: sicut accidens per & propter aliud, propter substantiam, quia in substantia. Tertij itaque per se modi sunt, Petrus est, vel, subsistit: homo est: animal est: substantia est.

Quarto modo per se dicitur effectus de propria sua causa, quam necessariò comitatur, sed causa externa, seu efficiens illa sit, seu finalis. idem effectus de subiecto quoque, cui inest, per se hoc modo dicitur, si subiectum, vt à causa affectum est, vnaque cum causa sumatur. Exempla: Interiectio terræ inter Solem & Lunam est eclipsis Lunae: iugulatio est interitus: iugulatus interiit: valetudinem conseruans vel recuperans post cœnam ambulat.

Notan-

Notandum autem est, attributionem huius modi reciprocare: & sicut effectum de sua causa per se quarto modo dicitur: ita quoque causam de suo effecto per se dici: quamuis hoc non in omnibus locum habeat. Sicut enim eclipsis de interiectione terræ per se dicitur: ita quoque interiectio de eclipsi per se dicitur: quod tamen in interitu & iugulatione locum non habet: cùm non omnis interitus iugulatio sit, sicut omnis iugulatio necessariò & per se interitus est.

Vniuersale est, quod tum de omni est, tum per se, tum etiam quatenus ipsum.

Tertia & postrema, eaque omnium maxima, necessitatis conditio, vniuersale. Est autem hîc vniuersale neque signum vniuersale, neque res vniuersalis, sed perfectissima necessarij enunciati conditio: quæ tria requirit: vt attributum omni subiecto, & semper insit: vt illi per se insit: vt illi insit, quâ id est quod est, hoc est, vt subiecto illi primo omnium insit, vtque cum subiecto reciprocet. Sicut enim prima conditio, de omni *subiectum totum attributo subiecit: ita hæc attributum quoque latius subiecto patere vetat. Hisce tribus concurrentibus, si attributum omni subiecto & semper insit, si illi per se insit, si illi insit, quâ id est quod est, seu, si illi æquale sit, summè necessarium est enunciatum & ad demonstrationem accommodatum.*

Adiicitur hæc tertia conditio, quia non omnia, quæ per se sunt, enunciata vniuersalia sunt & καθόλου: eò quòd non in omnibus attributum subiecto æquale est & totum seu vniuersum in subiecto. Cùm enim genus, generisve pars, de subiecto dicitur, per se quidem enunciatum est primo modo: sed non est vniuersale: quia attributum latius subiecto patet: quæ causa est, cur summè necessarium non sit.

Et de omni igitur, & per se, & vniuersalia, illa enunciata sunt, in quibus vel differentia, vel tota definitio, vel affectio, de subiecto suo dicitur, vt, homo est ratione præditus: homo est animal ratione præditum: homo est vi ad ridendum præditus, numerus par aut impar est: nasus simus est, &c.

QVID DEMONSTRATIONE CONCLVDATVR: IN QVO PER se modo maior propositio sit, in quo minor, in quo conclusio.

CAP. III.

Demonstratio, siue demonstratiuus Syllogismus instrumentum est, quo affectio, seu proprium accidens, de suo primo subiecto concluditur.

Sicut

Sicut in omni, sic etiam in demonstratiuo Syllogismo tres termini sunt. hoc interest, quòd in demonstratiuo maius extremum propria affectio est, seu accidens per se secundo modo: minus extremum primum & proprium affectionis subiectum: medium prima affectionis causa, propter quam subiecto inest: quae vel subiecti forma est & differentia, vel alia, sed illa, quae concluditur, prior, affectio. Demonstratiuus igitur hic syllogismus est:

Quicquid trina dimensione praeditum est, id circumscriptum est:

Omne corpus trina dimensione praeditum est: igitur, Omne corpus circumscriptum.

Circumscriptio corpori per se competit secundo modo: estque corpus primum huius affectionis subiectum: cui competit ob trinam dimensionem, quae sine circumscriptione & loco consistere nequit.

Liquet hinc, maiorem propositionem & conclusionem, in quibus proprium accidens attributi locum tenet, semper in secundo per se modo esse: minorem verò modò in primo, modò in secundo: in primo, cùm medium subiecti differentia est, vt in exemplo praesenti: in secundo, cùm aliud accidens est & affectio: quod crebrius euenire solet.

DE

DE GEMINA SCIENTIA τοῦ διότι καὶ τοῦ ὅτι.

CAP. IV.

Demõstrationi proprium est, vt scientiam propter quid gignat.

ADHVC natura demonstrationis: sequuntur proprietates. Proprietates quinque percenset Aristoteles: è quibus vnam depromemus, quæ est, quòd demonstratio, qua proprium accidens de suo subiecto, per primam causam concluditur, scientiam propter quid parit, hoc est, eius modi conclusionem efficit, quæ per primam suam causam, ex qua concluditur, eoque certò, perfectissimoque sciendi modo cognoscitur. Refertur enim scientia propter quid & τοῦ διότι, siue cognitio conclusionis per primam causam, ad demonstrationem duplici ratione: quâ illius finis est & differentia: & quâ illius essentialis est proprietas: quia sicut huius scientiæ causa demonstratio construitur: ita construi nulla potest, quin scientiam istam gignat. Hîc ergo perfectissimus sciendi modus est, cùm affectionem, & quod posterius est, per prius & primam suam causam cognoscimus.

Præter hunc alius est imperfectior, cùm etiam attributum subiecto necessario inesse cognosci-

mus, sed infirma, non summa, necessitate: quod fit, cùm non affectio per primam causam, sed vel affectio per causam aliquam remotam, vel prima causa ex effecto demonstratur. Talis scientia scientia quòd, τȣ͂ ὅτι dicitur, non propter quid & τοῦ διότι: quia tantùm cognoscimus, maius extremum minori inesse, & quidem necessariò inesse: sed primam causam, cur ei insit, non cognoscimus.

Porrò sicut gemina scientia est, sciendique modus: ita quoque gemina demonstratio est: altera τȣ͂ διότι, propter quid, quæ primam maioris extremi causam continet, itâque scientiam propter quid gignit: τοῦ ὅτι altera, quæ causam illam non continet, sed tantùm maius extremum minori necessariò inesse dicit, siue qua cognoscimus quòd insit, non autem cur insit. Exempla.

Quicquid trina dimensione præditum est, id circumscriptum est:
Omne corpus trina dimensione præditum est: igitur, Omne corpus circumscriptum est.

Quicquid ex vnitatibus collectum est, id par aut impar est:
Omnis numerus ex vnitatibus est collectus: par igitur aut impar.

Hæ, & similes, demonstrationes causæ sunt & τȣ͂ διότι: quia conclusio per primam suam causam

sam efficitur, eoque necessaria est, & aliter se habere non potest. Talis etiam hæc est:

Quicquid ex elementis constat, id ortui obnoxium est & interitui:

Omne compositum corpus elementis constat:

igitur, Omne corpus compositum ortui obnoxium est & interitui. Sed intellige, prorsus, & ex omni parte. Nam secundum partes aliquas generari & interire, composito mixtoque corpori cum quatuor illis simplicibus est commune: prorsus autem, & partium, & totius, habita ratione, generari & interire, compositi proprium: estque compositum corpus primum & adæquatum huius affectionis subiectum, cui καθόλȣ inest.

Quòd si contrà, è posteriori & effecto causam efficias, demonstrationem τȣ̃ ὅτι, quæ & signi dicitur, habes:

Quicquid ortui & interitui obnoxium est, id ex elementis constat:

Omne compositum corpus ortui obnoxium est & interitui: igitur

Omne compositum corpus ex elementis constat.

Alterius τȣ̃ ὅτι demonstrationis, quæ causa remota constat, Aristoteles hoc exemplum adfert:

Quicquid respirat, id animal est:

Nullus paries animal est: ergo

Nullus paries respirat.

Animal remota, non proxima, respirationis causa est: quia non omne animal respirat, sed illud demum, quod pulmones habet, qui prima respirationis causa sunt.

DE ILLIS QVAE QVAERVNTVR, DEQVE Definitione.

CAP. V.

Quatuor in primis quæruntur, an res insit, cur insit, an sit, quid sit.

PRINCEPS *Demonstrationis proprietas est, quòd in affectionis, quæ maius extremum est, definitionem conuerti potest. Hanc ob causam de quæsitis Philosophus disputat. Hanc ob causam simplices quæstiones posteriores statuit: vt ostendat, duas hasce quæstiones, propter quid, & quid, tandem concurrere: & quæstionem, qua quid res sit quæritur, tum omnium postremam tum præcipuam esse. Sed nos in præsentia de illis duntaxat quæ quæri solent, & de* Definitione *paucis agemus.*

Quæ quæruntur duplicis generis sunt: alia simplicia, alia coniuncta. Vel enim de integro enunciato quærere solemus, vel de subiecto & attributo

tributo seorsum: & de vtroque bifariam. De enunciato enim quærentes vel simpliciter quærimus, num attributum subiecto insit, veluti, num Luna eclipsin patiatur: vel causam, insuper, cur attributum subiecto insit, veluti, propter quid Luna eclipsin patiatur. Eodem modo seorsum de subiecto, seorsum de attributo, vel, an sit, quærimus, an Luna sit, an eclipsis sit: vel quid sit, quid Luna sit, quid eclipsis: estque quæstio an sit naturâ prior quæstione quid sit: cùm quid sit quæri non possit, nisi prius rem esse constet.

Definitio verò oratio est, essentiam rei explicans: estque triplex, nominis, essentialis, causalis.

Definitio propriè substantiarum est, & quidem substantiarum compositarum ex materia & forma, quæ genus & differentiam habent. Materia enim generis, forma differentiæ, locum obtinet in definitione. Tribuitur tamen etiam accidenti secundariò. quin & nomini: sed valde impropriè.

Nominis itaque definitio, seu potius, interpretatio, est, qua vis & natura nominis explicatur, vt eclipsis est defectus luminis in Luna, tonitru sonitus in nubibus. Essentialis est, quæ genere constat & differentia, siue substantiæ sit, seu accidentis, vt homo est animal, ratione præditum, albor est color dissipans aspectum. Causalis de-

finitio est, in qua, præter genus & differentiam, prima quoque rei definitæ causa exprimitur: estque propria affectionum, & eorum, quæ per se dicuntur secundo modo. Talis est, Eclipsis Lunæ, est defectio luminis in Luna, propter interpositionem terræ inter Solem & Lunam: Circumscriptio, accidens est corporis, trinam dimensionem consequens. Has Definitiones ex Aristotele habemus.

Conditiones bonæ Definitionis sunt: vt rei definitæ naturam explicet: vt causam eorum contineat, quæ rei insunt: vt dubitationes diluat.

Tres bonæ definitionis conditiones sunt & notæ: si naturam & essentiam rei declaret: quod facit, si proximo genere propriaque differentia constat: si propriorum & essentialium accidentium causam contineat, cur subiectu insint: si responsiones suppeditet, quibus ea diluantur, quæ ad eam oppugnandam adferuntur.

Libri de Demonstratione Finis.

DE

DE PROBABILI SIVE DIALECTICO Syllogismo.

LIBER SECVNDVS.

QVID DIALECTICVS SIVE *probabilis Syllogismus sit.*

CAP. I.

Dialecticus Syllogismus est, qui è probabilibus concludit.

SCIENDVM est, hîc nō de locis in genere, qui cuiuis conclusioni siue quæstioni concludendæ medium suppeditent, agi, sed de illis duntaxat, è quibus probabile medium sumitur, ad conclusionem probabilem efficiendam. hæc vera quidem est: sed non necessariò: quæ causa est, cur aliquando quoque sit falsa. Syllogismus ergo Dialecticus siue probabilis, hoc est, probabilem, non necessariam, vt Demonstratiuus, conclusionem efficiēs, est, qui ex medio probabili, eoq; probabilibus propositionibus, cōcludit.

Cōcluditur Dialectico Syllogismo vel definitio de re definita siue specie: vel genus atque differentia: vel propria affectio: vel accidens.

Quatuor, & quinque, sunt, quæ Dialectico Syllogismo concluduntur: quatuor, si differentia generi annumeretur: quinque, si seorsum consideretur. Definitio itaque probabili Syllogismo concluditur: non quòd essentia definitioque rei Syllogismo concludi poßit: sed quòd in vtranque partem disceptari poßit, vtrum hæc huius rei definitio sit, necne, vtrum rectè vel non rectè sit constructa. Eadem generis, differentiæ, proprij ratio est & accidentis. Traduntur enim hîc loci, quorum beneficio vtrunque possumus, & quod alicuius genus, differentia, proprium, accidens, esse perhibetur, illius, genus, differentiam, proprium, accidens, nõ esse, demonstrare, & quod alicuius genus, differentiam, proprium, accidens, esse dicimus, illius reuera genus, differentiam, proprium accidens, esse. Ceterum accidens vel effectum est, vel causa: quæ iterum variè subdiuidi potest: quod aliò pertinet.

Sed hic iure quæritur, quo modo causa, effectum, proprium, seu accidens per se secundo modo, genus itidem, differentia, totaque definitio ad Dialecticum attineãt, cùm Demonstratoris propria sint. Genus enim, differentia, definitio, per se sunt primo modo, proprium secundo, effectum & causa quarto.

Hîc sciendum est, causam duplicis generis esse: necessariam, quæ necessariò & semper effectum producit: contingentem, quæ effectum necessario

non

non producit. eadem effecti ratio. aliud enim necessarium est, necessariò, semperque causam consequitur: aliud contingens, quod non semper consequitur. Effectum contingens, itidemque contingens causa, ad Dialecticum spectant, & probabilis conclusionis causa sunt: effectum & causa necessaria necessariæ, quæ Demonstratoris est.

Eodem modo Definitio, genus, differentia, proprium, gemina considerari ratione possunt, vt attributa per se sunt & essentialia: & vt attributa sunt accidentaria siue probabilia, hoc est, quâ illis accidit, vt vel rectè, vel non rectè rebus assignentur. Posteriori modo ad Dialecticen spectant, priori ad Apodicticen. Hæc cognoscenda prius erant quam damnanda.

DE LOCIS ACCIDENTIS

E QVIBVS ACCIDENS SVBIECTO inesse vel non inesse, probabiliter concluditur.

CAP. II.

Vnus locus est causarũ & effectorum.

ARistotelis *Dialectice, siue Topice, prolixè disputandi rationem præscribit, quo scilicet pacto quæstio quæuis concludi probabiliter possit, quo item respondendum sit: quæ causa est, cur tum locos probabilium*

lium argumentorum ostendat, tum complures regulas & præcepta tradat, de modo & ratione disputandi. Nos simpliciter locos, eosque paucos, memorabimus: ac primo quidem loco, Aristotelem secuti, locos accidentis, qui medium suppeditant, ad probandum, hoc, quod alicuius accidens esse eique vt accidens inesse, perhibetur, illius accidens esse, vel non esse, vt accidēs, vel potius vt aliud quippiam, inesse.

Vnus igitur inter ceteros, locus est, locus causarum & effectorum: è quo medium probabile sumitur ad monstrandum, attributum subiecto vt accidens inesse. Siue enim causam attributi sumas, seu effectum, attributum subiecto vt accidens inesse concludis. Exemplum: Probare volo, hunc malè concoquere. sumo effectum attributi, sed effectum contingentem, non necessarium, quia pallet:

Qui pallet, malè concoquit:
Iste pallet: ergo.

Syllogismus probabilis est, non necessarius: quia medium necessarium non est. Eodem modo à causa medium sumitur. probare volo, hunc euasurum doctum. sumo medium, attributi causam, sed contingentem, quia diligenter studet: & sic de alijs.

Alius locus Cōiugatorū est & casuum.

Coniugata dicuntur & sunt, tum denominata, tum illa, à quibus denominantur, vt iustus, iustitia,

iustitia, fortis fortitudo: Casus verò *sunt aduerbia, è nominibus facta, veluti iustè, à iustitia, fortiter à fortitudine: quamuis casus quoque* Coniugatorum *rationem habeant: quia tam iustè, quàm iustus aut iustum, à iustitia denominatur. Si ergo probandum sit, subiecto accidens aliquod inesse, coniugatum illius subiecti sumitur, quod subiecto notius est, & cui accidens illud inesse magis est probabile, vt fortis laudandus est, quia fortitudo laudanda:*

Si fortitudo laudanda est, laudandus quoque fortis:

Sed fortitudo laudanda: igitur & fortis.

Alius locus est, ortus & interitus, efficiens & interimens.

Bonum, vel malum, quæ accidentia sunt, aliquid monstrare volentes, medium ab ortu vel interitu, efficiente vel interimente petimus: sed modo contrario. Exemplum:

Cuius ortus vel efficiens bonum est, id bonum est:

Conuersionis ad Deum ortus vel efficiens bonum est: igitur & conuersio. Contrà ab interitu vel interimente:

Cuius interitus vel interimens bonum est, id malum est:

Peccati interitus, vel interimens, bonum est: ergo peccatum malum.

Sumi-

Sumitur quoque medium ex iis, quæ similiter eodemque se modo habent.

Hoc est, probare possumus, attributum subiecto inesse vel non inesse, eò quòd alteri subiecto, alterum attributum inest vel non inest, cuius eadem ad subiectum illud ratio est, quæ istius est ad hoc subiectum, velut ipsum videre, τὸ ὁρᾶν, recipiẽdo colores fieri, quòd ipsum audire, τὸ ἀκούειν, recipiendo sonos fiat: vel, audire non fieri recipiendo, quod videre non fiat recipiendo. aspectus enim ad colores se habet, vt auditus ad sonos.

Insuper è magis & minus.

Vulgò locum hunc à minori ad maius vocant, & contrà: sed malè: quia non magnitudinis & paruitatis, quod nam subiectum vel attributum altero maius & minus sit, ratio habetur, sed τοῦ ὑπάρχειν, *cui nam subiecto, vel quod nam attributum, magis minusve insit. Ratiocinamur ex hoc loco quatuor modis: sed quorum tres extremi gemini sunt.*

Primus est, quo attributum subiecto inesse concludimus, si, sicut subiectum, sic etiam attributum intendatur, magisque recipiat. Exemplum: Literatus in precio habendus est, quia magis literatus magis in precio habendus est: Scelerati plectendi sunt, quia magis scelerati magis plectendi.

Si magis scelerati magis sunt plectendi, etiam scelerati plectendi sunt:

Sed

Sed magis scelerati magis sunt plectendi.
ergo Scelerati quoque plectendi.

Hic vnus modus est, quo è magis accidens subiecto inesse monstramus. Alter est, cùm idem attributum duobus subiectis attribuitur: & hic geminus. Vel enim à magis ad minus, eoque negando, argumentamur: vel contrà, à minus ad magis, idque affirmando. Exemplum illius:

Si mors mala non est, multò minus morbus malus est:
Sed mors mala non est: ergo,
multò minus morbus.
Vel ἐνθυμηματικῶς:
Mors mala non est: ergo
multò minus morbus.

Exemplum huius:

Si morbus malus est, multò magis mors mala est:
Sed morbus malus est: ergo
multò magis mors.

Hîc duo diuersa subiecta sunt, morbus & mors: sed vnum & idem attributum, malum. In vtraque argumentatione, negante & affirmante, alterum subiectum cum attributo medium est: sed in negante attributum ab illo subiecto, cui magis inesse videtur, remouetur, vt in conclusione de altero subiecto, cui minus inesse videtur, remoueatur: in affirmante verò, attributum illi subiecto,

cui

cui minus inesse videtur, inesse dicitur, vt sic alteri, cui magis competere videtur, inesse cõcludatur.

Tertius modus secundo ἀντίστροφο est, cùm de vno eodemque subiecto duo diuersa dicuntur. Fit hoc iterum affirmando & negando, à magis ad minus, & contrà. Nos terrena non intelligimus, quod magis inesse videtur: ergo multò minus cælestia. &: Nos cælestia intelligimus, quod minus inesse videtur: ergo multò magis terrena. Hîc vnum idemque subiectum est, Nos: & duo diuersa attributa, terrena intelligere, cælestia intelligere: quorum alterum ex altero concluditur. Structura Syllogismi facilis est:

Qui cælestia intelligunt, ij etiam, & quidem multò magis, terrena intelligunt:

Nos cælestia intelligimus: ergo.

Quartus & postremus modus est, cùm duo subiecta sunt, & duo attributa, & vtrunque subiectum attributum suum habet. Hîc iterum duplici illa ratione argumentamur. Vel enim alteri subiecto suum attributum, idque multò minus, inesse monstramus, quòd alteri suum, quod magis in esse videtur, non insit: vel contrà, alteri suũ attributum inesse concludimus, quod alteri suum quod minus inesse videtur, insit. Exemplum prioris:

Spiritus non est simul suâ substantiâ in tribus locis, quod magis inesse videtur: ergo multò minus humanum corpus in mille locis est,

cis est, quod minus inesse videtur.

Exemplum posterioris:

Humanum corpus in mille locis est: ergo multò magis Spiritus in tribus.

Duo subiecta sunt, spiritus, corpus humanum: duo itidem attributa, in tribus locis esse, in mille locis esse.

Sumitur etiam medium ex eo, quod similiter inest vel inesse videtur, & quidem triplici ratione.

Locus hic locus parium est & similium, qui è proximè præcedente intelligitur. Tribus modis è paribus & similibus ratiocinamur. Vel enim vnum attributum duobus subiectis similiter parique ratione inest: vel vni subiecto duo attributa: vel duobus subiectis duo attributa. In vno quoque horum trium modorum gemina ratione, sicut in antecedente loco, ratiocinamur. Si enim vnum duobus pariter insit, vel inesse videatur, tunc illud alteri non inesse monstratur, quòd alteri non insit, & contrà, alteri inesse, quòd alteri insit. Quòd si duo eidem similiter inesse videntur, alterum ei non inesse docetur, quòd alterum ei non insit, & contrà, alterum inesse, quòd alterum insit. Si denique duo duobus similiter insint, vel inesse videantur, alterum attributum suo subiecto non inesse probamus, quòd alterum suo non insit, & contrà, alterum suo inesse,

quòd

quòd alterum suo insit. Exemplum primi: Hypocritæ non sunt electi è Mundo: ergo neque verè credentes: quia pariter & simili ratione vtrique electi esse videntur: Vel contrà, Verè credentes electi sunt è Mundo: igitur & hypocritæ. Exemplum secundi:

Verè credentes iusti pariter & sancti sunt:
Sed non sancti: ergo
neque iusti. Vel contrà,
Sed iusti: igitur
& sancti.

Exemplum tertij:

Aequè mors stipendium est peccati, & vita æterna donum Dei:
Sed vita æterna non est donum Dei: ergo
neque mors stipendium peccati. Vel:
Sed mors stipendium est peccati: igitur
& vita æterna Dei donum.

DE ALIIS ACCIDENTIS LOCIS, DE LOCIS comparationum.

CAP. III.

Quod diuturnius est & stabilius, id optabilius est eo quod minus tale est.

SVppeditant hi loci medium, quo illud problema confirmatur, quo quæritur, vtrum inter

duo, vel etiam, quodnam inter plura optabilius ſit & magis eligendum. Quæritur, vtrum Germanicum vinum Gallico præſtet & Italico, an Italicum Gallico & Germanico. Medium primus hic locus ſuppeditat, diuturnitatem:

Vinum diuturnius, melius eſt & optabilius minus diuturno:
Germanicum diuturnius eſt Gallico:
melius igitur.

Sic eruditio diuitiis, quæ amitti poſſunt, præſtat immobilia bona mobilibus. error autem veritati non præſtat, quantumuis diuturnior & ſtabilior.

Optabilius eſt quod vir prudens aut bonus eligit, aut lex recta, aut periti in quouis genere, aut quæcunque plures vel omnes, vel omnia denique eligunt.

Lex recta cæleſtem theſaurum magis nos conſectari iubet, eumque boni & Sapientes magis conſectantur, quàm terrenum: melior ergo terreno.

Quod propter ſe eligitur, id optabilius eſt eo quod propter aliud expetitur.

Sanitas propter ſe expetitur, ambulatio propter ſanitatem: melior igitur ambulatione ſanitas.

Quod per se causa est boni, id magis eligendum est, quàm quod ex accidente causa est: & è contrario, quod per se causa est mali, id magis fugiendum est, quàm quod ex accidente illius causa est.

Virtus per se honore digna est, vestis, officium, ex accidente. melior igitur istis virtus. Scandalum datum per se mali causa est, acceptum ex accidente. peius igitur illud magisque fugiendum.

Quod simpliciter bonum est id illi præstat, quod alicui duntaxat bonum est.

Sanitas omnibus, venæ sectio, aliquibus duntaxat conducibilis est. melior ergo sanitas.

Melius est quod melioribus, aut prioribus, aut honoratioribus inest.

Charitas melioribus inest. melior igitur eruditione, eloquentia, quæ prauis etiam insunt.

Finis præstantior est iis, quæ ad finem conducunt.

Sanitas finis est, ambulatio medium, quo sanitas tum conseruatur, tum recuperatur. melior igitur ambulatione sanitas.

Huc effatum illud referri potest, Propter quod vnum quodque tale est, id magis tale est. Ob sa-

nitatem ambulationem, ob lucrum, & eruditionem peregrinationem expetimus: magis ergo sanitatem, lucrum, eruditionem. Quamuis non solùm in finali causa locum habeat hoc effatum, sed etiam in ceteris tribus causarum generibus.

Vt autem tum in ceteris tribus, tum in finali causa, in qua præ ceteris locum habet, verum sit, tres conditiones requiruntur: vt de accidentibus, quæ magis & minus recipiunt, non de substantiis, quæ ista non recipiunt, vsurpetur: vt affectio seu effectum eâdem ratione subiecto simul & causæ competat: vt causa absolutè, non ex parte duntaxat, causa sit.

Primæ conditionis defectione peccat, eoque falsum est istud: Filius est homo propter Patrem: Pater ergo magis homo: alterius istud, Hic ebrius est propter vinum: vinum ergo magis est ebrium. ebrietas enim in ebrio homine actu est, in vino sola virtute, quod vi obruendi & ebrium faciendi præditum est. Extremæ conditionis defectu peccant ista & similia: Ferrum candens vrit propter ignem: igitur ignis magis vrit: Aristoteles fuit Sapiens propter præceptorem Platonem aut Socratem: præceptor ergo, Plato vel Socrates, magis fuit Sapiens. Non sequuntur ista: quia ignis in ferro vniuersa adustionis causa non est, cui ferri materia multum confert: institutio & doctrina præceptoris vel sapientia non

sola causa doctrinæ vel sapientiæ, quæ suo tempore est in discipulo. Plures Comparationum locos apud Aristotelem habes.

Top. lib.3.

DE LOCIS GENERIS. CAP. IV.

Vt scias, an hoc, quod alicuius genus esse perhibetur, illius reuera genus sit, considerandæ tibi sunt omnes illius, cuius genus esse perhibetur, species, videndumque, num de singulis dicatur. nam si vel vni non competit, genus non est, quod singulis competere debet.

PROSVNT hi loci Generis ad construendum definitiones, quæ ex genere constant & differentia. Vt enim è genere & differentia definitio construatur, necesse est, vt primò omnium genus atque differentia nobis sint perspecta. Docet autem præsens locus & sequentes, quo pacto deprehendi refutarique posit, genus non esse, quod pro genere alicuius venditatur. Exemplo res fiet perspicua. Genus voluptatis esse dicitur honestas. Diuide voluptatem in omnes suas species. si vel vnam repereris, quæ honesta non sit, & cui dictum genus non compe-

competat, honestas non est voluptatis genus.

Deinde videndum est, an in eo quod quid est esse, illi attribuatur cuius genus esse perhibetur.

Genus in quid de subiecto & specie dici, hoc est, naturam & essentiam illius, & quid sit, explicare, notum est ex libro primo. Si igitur illud, quod pro alicuius genere venditatur, de eo non ita dicitur, etiam genus illius non est. Sic albor non est genus niuis, quia naturam illius non declarat.

Videndum insuper est, vtrum id quod genus statuitur, & illud, cuius genus statuitur, in eadem sint Categoria.

Genus & speciem in eâdem Categoria esse necesse est. Probatur ergo genus non esse, si in alia Categoria species illudve sit, cuius genus esse dicitur, in alia id quod genus esse perhibetur. Ita candor neque niuis genus est, neque cycni: quia cycnus & nix in Substantiâ sunt, candor in Qualitate.

Considerandum etiam est, num species alicui verè attribuatur, cui genus, vel quod illius genus esse perhibetur, verè attribui nequeat.

De quocunque species verè dicitur, de eo quoque genus illius verè dicitur. Monstratur ergo ge-

nus non esse, si ei, de quo species verè dicitur, genus illud verè non attribuatur. Sic ars scientiæ genus non esse monstratur, quia Physice, Geometria Scientia est, vereque dicitur: de quibus tamen ars, propriè sumta, verè non dicitur. Qui plura
lib. 4. Top. Generis locos requirit, is Aristotelem consulat. Nos paucis triplex illud inter genus & differentiam discrimen memorabimus, & quo pacto differentia, quæ cum genere definitionem constituit, tum à genere sit discernenda, tum, quòd vera rei, de qua agitur, differentia sit, dignoscenda.

Discernitur à genere differentia, primò, quòd genus latius differentia patet, quæ cum specie & re definita reciprocat: deinde, quòd genus essentiam & τὸ τί ἐστι magis exprimit, quàm differentia: tum quòd differentia qualitatem generis perpetuò significat, genus autem nunquam differentiæ qualitatem. Differt hoc tertium discrimen à secundo: quia aliud est, quòd differentia non sic vt genus, essentiam rei definitæ exprimat, aliud, quòd generis qualitatem significet. Vtrunque planum est. Qui enim hominem animal esse dicit, is magis, quid homo sit, dicit, quàm qui eum ratione præditum esse ait. Ita qui hominem animal esse dicit ratione præditum, quale nam animal homo sit, dicit: ut perspicuum sit, differentiam perpetuo qualitatem generis declarare: quod tamen genus nunquam facit: propterea

quòd non differentia genere, sed hoc illâ ad speciem restringitur.

Notandum hîc est, sicut Topicè, & si harum duarum definitionis partium, generis, inquam, & differentiæ, significationes spectentur, rectè dicitur, essentiam & τὸ τί ἐστι genere magis exprimi quàm differentia: ita Philosophicè, & si res ipsæ spectentur, verum non est: cùm tota rei essentia in forma & differentia consistat.

DE LOCIS PROPRII.

CAP. V.

Rectè, vel non rectè, proprium assignatur, si notioribus vel ignotioribus assignetur.

L*OCI Proprij duplicis generis sunt, sicut & loci Definitionis. Alij enim docent, vtrum rectè nec ne proprium sit assignatum: alij, vtrum quod assignatur, proprium sit. Aliud enim est monstrare, hoc, quod assignatur, huius rei proprium esse: aliud, id rectè, & quo decet modo, assignatum esse: sicut aliud est ostẽdere, orationem aliquam rei definitionem esse, & essentiã illius explicare: aliud, eam rectè & artificiose constructã esse, itaq; essentiam explicare, vt nec obscura sit, nec extrariũ quid contineat,*

Hoc ergo capite vnum & alterum breuiter locum memorabimus, quibus docemur, quando rectè proprium asſignetur.

Primus locus eſt, ſi proprium, vel illa, quibus proprium asſignatur, verba notiora ſint eo, cuius proprium asſignatur. Hoc ſi ſit, rectè proprium asſignatur: ſin ſecus, malè. proprium enim, ſicut & definitionem, diſcendi cauſa conſtruimus, vt rem definitam & cuius proprium conſtituitur, rectè cognoſcamus.

Rectè itidem proprium conſtituitur, ſi vocabulum vel oratio, qua exprimitur, ambigua non ſit: malè, ſi vel oratio tota, vel vnum aliquod vocabulum ſit ambiguum.

Ita malè proprium verè credentium ſtatuitur, ſi proprium eorum eſſe dicatur, quòd pacem habeant: rectè, ſi pacem apud Deum habere dicantur.

Malè quoque proprium ſtatuitur, ſi res, cuius proprium asſignatur, ambigua ſit, neque tamen definiatur, quâ illius proprium ſit: rectè, ſi ambigua non ſit.

Probaturus, proprium alicuius rei rectè non poni, monſtrare debet, rem illam plura ſignificare: & eum, qui proprium ponit, non indicare, in qua ſignifi-

significatione acceptæ illius proprium esse dicat. Contrà, qui docere vult, rectè positum esse proprium, is monstrare debet, rem illam plura non significare, vel certè proprium hac illi significatione competere. Ita malè proprium electi statuitur, efficax & interna vocatio, si non explicetur, qua significatione electus accipiatur: rectè, si electi ad vitam æternam proprium esse dicatur.

Malè proprium assignatur, cum plura eiusdem rei propria coaceruantur, neque tamen indicatur, plura coniungi: rectè, si plura non coaceruentur.

Quem ad modum malè definitio construitur, in qua præter ea, quæ rei naturam explicant, alia assumuntur, quales innumeræ hodie circumferuntur: ita malè proprium ponitur, si non vnum duntaxat assignetur, sed plura coniungantur. Probatur non rectè positum esse, si plura sint coaceruata: rectè, si vnicum sit.

DE ILLIS PROPRII LOCIS, E QVIBVS PROPRIVM ESSE vel non esse monstratur,

CAP. VI.

Proprium non est, quod vel nulli, vel certè alicui eorum, quæ sub illo, cuius proprium adfertur, continentur, verè non

non competit: vel quod non ſingulorum proprium eſt, per & propter illud, cuius proprium eſſe perhibetur.

PRORRIVM non eſſe monſtratur, ſi non ſingulis inſit, quæ ſub illo, cuius proprium eſſe dicitur, continentur: vel, ſi non ſingulorum proprium ſit, eò quòd communis illius proprium eſt. Defenſionis contraria ratio. Ita verè credentis proprium non eſt, planè non peccare: quòd id nulli inſit. eſt autem illius proprium, pacem apud Deum habere, item, peccatum, inter peccandum, deteſtari, deplorare. hoc enim omnibus verè credentibus competit, & quidem eò quòd verè credunt.

Videndum dein eſt confutanti, an oratio, qua proprium exprimitur, alicui competat, cui non competat nomen rei, cuius proprium adfertur: & contrà, an rei nomen alicui cõueniat, cui non conueniat oratio.

Hiſtoriæ fide credere, verè credẽtium proprium non eſſe, ex eo docetur, quòd diabolis competat, qui verè non credunt. Contrà, miracula edere verè credentium proprium non eſt: quia multi verè credunt, qui tamen miracula non edunt. Defendenti contrarium eſt oſtendendum.

Inſu-

Insuper videndum est refutanti, num proprium essentiam rei explicet.

Proprium reciprocare quidem cum illa re, cuius proprium est, debet, sed non essentiam illius explicare: quòd ita non proprium & accidens esset, sed pars essentialis. Monstratur ergo proprium non esse, si naturam rei declaret: probatur esse, si cum re conuertatur, neque tamen naturam illius explicet. Cetera ex Aristotele petantur.

DE LOCIS DEFINITIONIS NON RECTE CONSTRVCTAE.

CAP. VII.

Duobus fieri modis solet, vt non rectè res definiatur: si obscura definitio sit: si superflua sit.

DEFINITIO *duobus, inter ceteros, modis reprehenditur: si naturam rei definitæ non explicet: si non eo, quo decet, modo, eam explicet: quod fit, si vel obscura sit, vel superflua. Hoc ergo capite, Philosophum secuti, definitionis non rectè constructæ locos memorabimus: sequenti illos, qui rei naturam definitione non explicari monstrant.*

Doctrina præclara, & per quàm necessaria: quam si aliqui didicissent: & alij nõ contemsisset:

non tot ineptæ definitiones paßim oberrarent. Malè definitio constructa est, si vel obscura sit, vel superflua. Illud quinque, hoc sex, modis & locis demonstratur.

Primus obscuritatis locus est homonymia, si homonymum quid in definitione ponatur.

Obscura, eoque non rectè constructa est definitio, si aliquid in ea homonymum ponatur: vt si quis Apostolum definiens, eum personam electam esse dicat. electum enim esse, homonymon est. Eadem est ratio, si res definita sit homonymos. incertum enim, quo sensu definiatur.

Alter locus est, si quid metaphoricum in definitione ponatur.

Obscura definitio est, quæ metaphoram, vel aliquid metaphoricum continet: quia quicquid metaphoricum est id obscurum est, puta, in definitione: vt si quis dicat, Legem esse speculum.

Obscura itidem est, si vocibus ignotis & inusitatis constet.

lib.2. Top.c.2. *Talis illa Platonis est, qua medullam id esse dixit, quod osse prognatum est, ὀστεογενές.*

Insuper, si longius petita similitudine constet.

Talis est, si Lex definiatur, mensura eorum, quæ naturaliter iusta sunt, aut Scriptura Sacta,

quòd imago sit. Talis definitio deterior est metaphorica.

Tandem, si ex ea contrarij definitio non patescat: aut, si seorsum, absque re definita prolata, obscurum sit, cuiusnam sit definitio.

Exemplum prioris: Candor color est in superficie. hinc enim nigroris definitiò non patet. Exemplum posterioris: Substantia, seipsam mouens. non liquet, vtrum animæ sit definitio. vitiosa ergo. Hæc de obscuritate, alterum sequitur, τὸ ἐπὶ πλέον.

Superflua definitio est, & latius patet, plurave, quàm debebat, cõtinet, primò, si aliquid continet, quod vel simpliciter omnibus inest, vel saltem illis, quæ sub eodem genere sunt cum re definita.

Generis officium est, vt rem definitam è ceterorum generum numero eximat: differentiæ, vt eam etim à ceteris, quæ sub eodem cum ea genere sunt, discriminet. Refutatur itaque definitio, & vt superflua reiicitur, si vel tali genere constet, quod rei definitæ cum omnibus vniuerse rebus commune est: vel tali differentia, quæ ceteris quoque speciebus competat. Exemplum prioris, Animal ens est animatum, sentiens Exemplum posterioris: Animal corpus animatum est, trina dimensio-

mensione præditum. Nam trina dimensione præditum esse, sentienti corpori cum non sentiente commune est.

Deinde, si propria quidem definitio sit, reique definitæ cum aliis non communis, sed aliquid continens, quo ablato, nihilosecius reliqua oratio propria est, reique naturam explicans.

Superflua, & quidem propriè superflua est definitio, cui præter partes necessarias, aliquid assuitur: qualis illa peccati est, Peccatum est priuatio iustitiæ Legis, commerens iram æternam, nisi fiat remißio. extremis enim ablatis, integra nihilosecius est definitio, peccatum est ἀνομία.

Simpliciter verò dicendo, superfluum illud omne est, quo ablato, res definita nihilominus reliqua oratione declaratur.

Tales illæ definitiones sunt, quibus generi & differentiæ accidentia, siue propria, siue communia, causæ itidem, sine causa, intexuntur. Talis hæc est, homo est animal ratione præditum, γελαστικόν, *mortale.*

Superflua itidem est, si quid in definitione ponatur, quod non singulis competit, quæ sub re definita comprehenduntur.

Talis

Talis est, Homo est animal, ratione præditum, disputandi facultate instructum. Talis peior est antecedentibus.

Item si idem crebrius dicat.

Vt, peccatum est defectus, vel inclinatio, vel actio. inclinatio enim vel actio contra Legem, defectus est & priuatio.

Præterea, si quod generatim dictum est, in parte quoque dicatur.

Vt si quis Medicinam definiens, eam Scientiam esse dicat eorum, quæ salubria sunt animali & homini.

DE LOCIS τοῦ τί ἐστι, CAP. VIII. & vltimum.

Naturam rei non explicat definitio, si non prioribus & notioribus constet.

DEFINITIO *cognitionis causa construitur, vt illius beneficio res definita cognoscatur. Notioribus igitur, eoque prioribus, quàm res definita sit, constet, necesse est.*

Dicitur autem aliud alio prius & notius duobus modis: quâ ad nos: & quâ ad rei naturã. Nobis notius & prius est, quod naturaliter posterius est magisq; cõpositum: naturâ, quod naturaliter

prius est & simplicius. illud nobis notius & prius dicitur, quòd sensibus propinquius sit, & facilius à nobis cognoscatur: hoc naturâ, quòd per hoc demum id quod nobis notius est, verè cognoscatur. Summa, nobis notiora prioraque species & genera sunt: naturâ, eorum causæ, à quibus specierum & generum perfecta cognitio naturaliter pendet. Ita nobis sicut notius, ita prius est atque propinquius, corpus animatum: quòd ad sensum propius accedat. sin rei naturam spectes, anima tum prior est, tum notior, à qua animati corporis cognitio pendet.

Vt ergo naturam rei definitio declaret, ex vtriusque generis notioribus constet necesse est. refutatur, si talis non sit. confirmatur, si talis sit.

Notandum tamen est, hoc in veris duntaxat, quæ substantiarum compositarum sunt, definitionibus locum habere, & de illis solis accipiẽdum esse, non autem de accidentis descriptionibus. Instrumenta enim omnia fine & posteriori, in quo eorum essentia consistit, definiuntur. Notandum etiam, eos aduersus hunc locum peccare, qui res omnes quatuor illis causis definiendas esse censent.

Essentiam itidem rei definitæ non exprimit, si genus illius non contineat.

Si definitio rei definitæ genus, quod τὸ τί ἦν εἶναι *declarat, non continet, essentiam illius non explicat. Talis est, Eucharistia est ipsum Christi corpus.*

Item

Item si remotius genus proximi loco arcessatur.

Vt si quis hominem definiens dicat, eum esse corpus ratione præditum.

Insuper, quâ ad differentias, si loco differentiæ, vel non propria rei differentia, vel tale quid positum sit, quod nullius differentia esse soleat.

Primus locus generalis est, ad differentiam simul & genus attinens: duo, qui præcessere, speciales, ad solum genus attinentes: hic iterum specialis, ad solam spectans differentiam. Homo animal est ridendi vi præditum. propria differentia non est. Virtus est qualitas quæ habitus dicitur. Habitus differentia esse non solet.

Vt igitur appareat, an, quod loco differentiæ ponitur, vera propriaque rei definitæ differentia sit, hæc tria consideranda sunt: an aliam habeat oppositam & ἀντιδιῃρημένην: an, si habeat, ea de genere verè dicatur: an denique cum genere illo speciem efficiat. Si horum trium aliquod desit, vera differentia non est: si nullum, vera & propria est differentia.

Prima conditio necessaria est: quia sicut vnumquodque genus species habet ἀντιδιῃρημένας: ita quoque differentias habet, quibus species constituuntur. altera necessaria est: quia si ἀντιδιῃρημένην aliquam habet, quæ de genere vere non

dicitur, nec ipsa vera generis illius est differentia. tertia requiritur: quia vera differentia speciem efficit cum genere. Et hæc de Topicis.

Finis Dialecticæs.

DE ELENCHO ET SYLLOGISMO SOPHISTICO.

LIBER TERTIVS.

QVID ELENCHVS SOPHISTICVS SIT.

CAP. I.

Elenchus Sophisticus Syllogismus est, speciosam efficiens contradictionem.

NECESSARIAM huius partis doctrinā esse, omnes omnium ætatum Sapientes vno ore confitētur: & compluribus Aristoteles docet, in vestibulo suorum Elenchorum. Certo certius est, non quamuis captionem ex regulis illis, de structura Syllogismi traditis, dilui posse: cùm non omnes in eas delinquant: vt ex hoc libello patescet.

Vt Elenchi Sophistici definitio percipiatur, notandum est, Elenchum geminum esse: alium verum, qui verè contradictionem efficit: alium speciosum quidem, sed non verum, qui contradictionem efficere quidē videtur, sed reuera non efficit: qui Sophistarum & præstigiatorum est proprius.

Sophisticus igitur Elenchus Syllogismus est: sed syllogismus quidam, quia species Syllogismi generalis, talis videlicet Syllogismus, qui talem conclusionem efficere videtur, quæ conclusioni & sententiæ veræ contradicit: quam tamen non verè & necessariò efficit: sed præstigijs duntaxat & dolo malo: qui dolus, cùm sine doctrina non deprehendatur, hoc libro detegitur. Vt enim Syllogismus verus Elēchus sit, necesse est, vt tum forma vitio vacet, tum illius materia: quod contrà fit in Syllogismo Sophistico: qui vel in vtroque simul peccat, in materia & forma: vel certè in altero, in materia.

DE LOCIS SOPHISTICIS GENERATIM.

CAP. II.

Tredecim sunt Sophistarum loci, homonymia, amphibolia, compositio, diuisio, prosodia, figura dictionis, accidens, secundum quid vt simpliciter, elenchus, petitio principij, consequens, non causa vt causa, duæ interrogationes vt vna: è quibus primi sex in dictione consistunt: reliqui extra dictionem.

PRæcipuus Sophistarum scopus est aduersarium conuincere. Huius scopi, & quo pacto ad eum

ad eum Sophistæ collineent, modi & loci hîc præscribuntur. Sicut enim loci Dialectici argumenta, seu medium probabile nobis suppeditant, & tres illi Apodictici, de omni, per se, vniuersale, medium necessarium: sic isti medium fallax & falsum, speciosum tamen atque fucatum.

Loci hi duplicis generis sunt, sicut duplex modus est conuincendi. alij enim tale medium suppeditant, vt fraus non in rebus, sed in verbis tantùm lateat & oratione: qui idcirco loci in dictione vocantur: alij contrà eiusmodi, quod non verbis & oratione, sed ipsismet rebus insidias struit: qui loci extra dictionem nuncupantur.

DE LOCIS IN DICTIONE.

CAP. III.

Homonymia locus est Sophisticus, medium homonymum ostendens,

Quotiescunque medius Syllogismi terminus ambiguus est & homonymus, Sophisma est homonymiæ: quod consecutionis inficiatione reiicitur. Exempla passim suppeditant. Tale illud:

Quicunque credunt ij seruantur:

Diaboli credunt: ergo
seruantur.

Negatur consequentia, quia Sophisma est homonymiæ: quòd medium aliter cum maiore extremo cohæreat, aliter cum minore: vel, quod eôdem redit, quia credere aliter in maiore sumitur, aliter in minore. Liquet, huius loci Syllogismos in materia simul & forma peccare: in materia, quia medium neque demonstratiuum est, neque Topicum: in forma, quia quatuor terminis constant. Huius loci fallacia inter fallacias in dictione sicut frequentissima est, ita quoque potissima est.

Amphibolia locus est Sophisticus, medium eiusmodi monstrãs, quod ambigua constructione fallit.

Homonymia crebrius in vnica voce consistit, Amphibolia nunquam, sed semper in plurium constructione: estque nihil aliud, quàm propositio ambiguæ constructionis, quæ maioris locum in Sophismate tenet. Exemplum:

Quod quis videt, id videt:
Niuem videt: ergo
Nix videt.

Neganda est consecutio, quòd sophisma sit Amphiboliæ.

Discrimen igitur inter Homonymiæ & Amphiboliæ captionem est, quòd in illa medius terminus

minus ambiguus est, eò quòd plura significet, in hac propositio maior, ob ambiguam constructionem. Etsi verò in maiore propriè fraus est: nihilosecius tamen Syllogismus talis fallendi vim à medio habet.

Compositio locus est Sophisticus, eiusmodi medium ostendens, quod compositione fallit.

Cùm componuntur quæ non erant componenda, quia non composita & simul, sed seorsum duntaxat vera, fallacia admittitur compositionis. Exemplum: Posse sedentem ambulare, verum est, si seorsum accipiatur, vt scilicet qui modò sedet, pòst ambulet: falsum autem, si simul, & sensu, quem vocant, composito, sumatur, vt sedens & dum sedet, ambulet. Fraus iterum in maiore propriè hæret. Sic enim struenda captio:

Poßibile est sedentem ambulare;
iste iam sedet: ergo
iam ambulat.

Diuisio est quæ diuidendo fallit.

Differt à compositione diuisio tribus modis: vno, quòd illa è maiore composita, hoc est, sensu composito sumta concludit, hæc è maiore diuisa, & sensu diuiso sumta: altero, quòd illa è maiore falsa, hæc è maiore vera: extremo, quòd illa conclusionem diuisam efficit, hoc est, maioris cōpositæ partem, hæc cōpositam, quia maiorem propositionem in conclusione componit, & quod in maiore

de subiecto maioris seorsum, eoque rectè, dicebatur, id in conclusione subiecto conclusionis coniunctim, itàque falsò attribuitur. Exemplum:

Duo & tria paria sunt & imparia:
quinque duo sunt & tria: ergo
quinque paria sunt & imparia.

Est etiam alius, præter hunc, diuisionis modus, cùm vox aliqua ab aliquibus, à quibus diuidenda non erat, diuiditur, & coniungitur cum quibus non erat coniungenda. Hoc quotiescunque fit, vtriusque simul fallacia committitur, diuisionis & compositionis: vt in illo, Ego posui te seruum existentem liberum. Si qui hoc dicit, dicere vult, se seruum libertate donasse, Diuisionis simul & Compositionis fallacia committitur, si verbis illis contrario sensu acceptis, ita quis sophisticetur,

Quem ego posui seruum, existentem liberum,
eum ex libero seruum feci:
Hunc posui seruum existentem liberum:
Seruum igitur ex eo libero feci.

Prosodia est, quæ medium ostendit, quod rebus, ad Prosodiam attinentibus, imponit.

Sophisma Prosodiæ est, cùm medij termini locum occupant diphthongi & vocales: breues & longæ

longæ syllabæ, spiritus & accentus diuersi, vt sunt, equus, æquus, ara, hara.

Qui ministrat aræ, Sacerdos est:
Subulcus ministrat haræ:
Sacerdos igitur est.

Hæc captio cuiuis est obuia.

Figura dictionis est, quæ ob terminationis, vel generis, similitudinem fallit.

Cum diuersa eadem, vel eiusdem virtutis esse dicuntur, quòd eiusdem generis sint, aut terminationis, sophisma est Figuræ dictionis: vt, si τὸ ἄῤῥεν ϗ τὸ θῆλυ*, eadem esse dicantur, quòd eiusdem generis sunt: si tam valere, quàm docere, actionem significare dicatur, quòd eiusdem sint terminationis. Hæc & similia huc attinent, non homonyma, quæ longè sunt subtiliora.*

DE LOCIS EXTRA DICTIONEM.

CAP. IV.

Ex accidente paralogismi sunt, cùm quiduis rei & accidenti similiter attribuitur.

Hoc est, Accidentis sophisma est, cùm quiduis, quod cum attributo conclusionis cohæret, etiam illius subiecto eodem modo attri-

buitur,

buitur, cum quo tamen non eo modo, quo cum attributo, sed ex accidēte duntaxat cohæret. Ostendit igitur hic locus eiusmodi cōclusionis medium, quod cum maiore extremo verè & per se cohæret, cùm minore ex accidēte duntaxat. Per rem, subiectum conclusionis, seu minus extremum, intellige: per accidens, extremum maius: per quiduis, medium, seu illud quod cum maiore extremo verè & per se cohæret, cùm minore tantùm ex accidente. Exemplum: Probare volo, Legem diuinam malam esse. semper enim conclusio primò est consideranda. Medium Locus iste suppeditat, quòd iram operetur: de quo maius extremum verè & per se enunciatur: sed quod ex accidente duntaxat minori attribuitur.

Quod iram operatur, id malum est:
Lex iram operatur: ergo
mala. Tale illud:

Qui decretum & voluntatem Dei exsequitur, is rectè facit:
Herodes, Pontius Pilatus, Absolomus, Dei decretum & voluntatem sunt exsecuti:
ergò rectè fecerunt.

Sophisma est Accidentis: quia ex accidente Lex iram operatur, ex accidente Diabolus & praui Dei decretum exsequuntur. Liquet ex his, dolum & fallaciam in minore propositione latere.

Paralogismi autem ex eo, quòd aliquid simpliciter hoc, vel aliqua ex parte, & non simpliciter, dicitur, sunt, cùm, quod in parte dicitur, vt simpliciter dictum, accipitur.

Sophisma, quod à secundum quid vt simpliciter est, tunc committitur, cùm tale medium sumitur, quod cum alterutro extremo κατά τι *duntaxat & ex parte cohæret; hoc est, de quo vel maius extremum ex parte duntaxat verum est, vel quod minori ex parte duntaxat competit: & nihilosecius in Conclusione de minore extremo sic affirmatur, ac si cum vtroque extremo simpliciter, & omni ex parte cohæreret. Exemplum:*

Qui Mundum reliquit, is non est in Mundo:
Christus Mundum reliquit: ergo
non est in Mundo.

Hîc in minore fallacia latet: quia medium non absolutè, sed ex parte duntaxat, siue κατά τι *minori extremo competit. In hoc autem fallax est maior:*

Qui reus fit corporis & sanguinis Christi, is eorundem particeps fit:
Indignè comedentes rei fiunt corporis & sanguis Christi: igitur
eorundem participes fiunt.

Maior ex parte duntaxat vera est. Particeps

fit,

sit, aliquo modo, quâ ad Sacramentum & signum, quo Christi corpus offertur.

In minore itaque propositione, quod crebrius sit, fallacia est, cùm medium non toti subiecto, sed parti duntaxat illius competit: in maiore, cùm maius extremum non totum & vniuersum, sed ex parte duntaxat, & quodam modo medio inest.

Alij paralogismi ex eo fiunt, quòd non satis constet, quid Syllogismus sit, aut Elenchus.

Circumuenitur Contradisputans, si vel Syllogismi, vel Elenchi naturam non satis perspectam habeat. Medium igitur hic locus suppeditat, quo vera Contradictio concludi videtur, quæ tamen non concluditur: quod fit, cùm conditionum illarum aliqua deest, quæ ad veram contradictionem requiruntur. Quod cùm fit, simul etiam vt plurimum in forma peccatur: quæ Elēch. cap.4. *causa est, cur Aristoteles dicat, & Elenchi, & Syllogismi ignorantiam huius Paralogismi causam esse: & paralogismum istum etiam ad paralogismos in dictione, ad illos scilicet, quos medium homonymum efficit, attinere.*

Vt ergo constet, vtrum contradictio concludatur, notandæ sunt conditiones Contradictionu. Hæ quatuor sunt: vt quæ contradictionem inuoluere dicuntur & debent, ὡσαύτως, eodem

modo

modo dicantur: vt κατὰ τὸ αὐτὸ, secundum idem dicantur: vt πρὸς τὸ αὐτὸ, ad idem, dicantur: vt ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, eodem tempore dicantur & vsurpentur. Si hæ quatuor conditiones adsint, eidemque subiecto idem attributum, quod ponitur, attribuatur, contradictio est: si vna desit, contradictio non est.

Prima Conditio postulat, vt vtrunque, subiectum, & attributum, in vtroque enunciato, quæ contradicentia esse debent, eodem modo, eademque significatione sumatur. Ita Contradicentia non sunt, Omnes electi seruantur, Quidam electi non seruantur: Diaboli credunt, Diaboli non credunt. Ibi enim subiectum, hîc attributum, alia & alia ratione sumitur.

Altera Conditio insuper exigit, vt attributum subiecto iuxta eandem naturam, partem, conditionem, in vtroque enunciato attribuatur. Huius conditionis defectione sibi non contradicunt ista, Christus prior est Abrahamo, Christus non est prior Abrahamo.

Tertia conditio, præter hæc duo, illud quoque requirit, vt attributum subiecto absolutè competat, non ratione comparationis, qua cum duobus diuersis comparatur. Ita Contradictio non est, binarius duplum est, binarius non est duplum: duplum scilicet, si cum vnitate, non duplum, si cum ternario, comparetur.

Quarta denique Conditio requirit, vt, si hæc omnia

omnia tria concurrant, etiam eiusdem temporis habita ratione attributũ subiecto tribuatur. Non enim contradicentia sunt ista, Omnes homines erant antiquæ fidei, Quidam homines non erant antiquæ fidei, temporibus diuersis.

Fiunt igitur Elenchi Sophistici, cùm ex alicuius harum quatuor Conditionum defectione contradictio concluditur. Talis est:

Qui sempiternus est, is Abrahamo posterior non est:
Christus sempiternus est: ergo
non posterior Abrahamo.

Vera conclusio est, Christum Abrahamo posteriorem esse, quâ homo est: contradictio, sed fallax, eum posteriorem non esse vllo modo. Fit ex defectione secundæ Conditionis: eoque ad Locum secundum quid, vt simpliciter, proprie pertinet. Talis etiam hic est:

Qui peccare non possunt, in iis nullum reliquum est peccatum:
Qui ex Deo nati sunt peccare non possunt:
Nullum igitur in illis peccatum reliquum.

Vera Conclusio est, in renatis peccata quædam superesse: Contradictio fucata, nullum superesse. Fit hoc defectu primæ, non secundæ, Conditionis. Ex Deo nati non peccant, ad mortem & plena voluntate: peccant tamen & cadunt, etiam

quâ

quâ renati ſunt: ſed reſurgunt, & dum peccant peccatum deteſtantur. Eodem modo de ceteris.

Paralogiſmi, qui id quod eſt in principio, ſumunt, tot modis fiunt, quot id, quod in principio eſt, petitur.

Petitur principium, ſiue quod primum eſt, & probandum, vel cum idem, mutatum tamen, & fucatum, ad ſui ipſius confirmationem aſſumitur, vel aliud æquè incertum. Exemplum prioris, Anima eſt ex traduce: quia ineſt in ſemine. Exemplum poſterioris, Corpus Chriſti, quâ carne præditum corpus eſt, ore corporis editur: quia transſubſtantiatio eſt, vel, è contrario.

Conſequentis Elenchus eſt, cùm conuerti conſecutio putatur.

Imponit nobis hic Locus, cùm ſimpliciter conuerti putamus, quæ ſimpliciter non conuertuntur: quia medium monſtrat, ad cuius diſpoſitionem vniuerſalis affirmantis ſimplex Conuerſio requiritur. Probandum eſt, Simonem Magum ad æternam vitam electum fuiſſe: medium, quod externè vocatus ſit, omnis autem electus ad æternam vitam externè vocetur.

Omnis electus ad æternam vitam, externè vocatur:
Simon ille Magus externè vocatus fuit:
igitur electus ad æternam vitam.

Valeret,

Valeret, ſi maior ſimpliciter conuerti poſſet: quæ tamen ita vſurpatur, ac ſi conuerti ſimpliciter poſſit. Peccat ſimul in Forma Syllogiſmus iſte, eoque non Syllogiſmus, ſed paralogiſmus eſt, quia puras affirmãtes efficit in media Figura. Sed hinc non ſequitur, omnia promiſcuè Formæ vitia huc eſſe referenda. Aliud Conſequens eſt, aliud Conſequentia.

Qui verò è non cauſa, vt cauſa, conſtat Elenchus, is fit, cùm quod cauſa non eſt, vt Elenchi cauſa, ſumitur.

Monſtrat hic Locus medium, quod cauſa contradicẽtis concluſionis videtur, cuius reuera cauſa non eſt.

Qui ad dextram Dei ſedet, is eſſentia ſua vbique eſt:
Chriſtus, quâ Deus & homo, ad dextram Dei ſedet: ergo
quâ Deus & homo, vbique eſt eſſentia.

Sophiſma eſt, à non cauſa, vt cauſa: quia non ſeſſio ad dextram, ſed infinitas eſſentiæ, cauſa eſt, cur aliquid eſſentia ſit vbique. Quamuis maior quoque reuera in parte duntaxat ſit.

Dominatur cum primis hic Locus in Syllogiſmis per impoſſibile, cùm altera propoſitio euertitur per id quod non eſt cauſa.

Paralogiſmi verò, qui fiunt, quòd duæ interro-

interrogationes, vt vna, sumuntur, tum fiunt, cùm plures interrogationes esse latet, & velut ad vnam vna responsio datur.

Docet hic Locus medium petere ex duplici interrogatione, seu interrogatione de duobus, cùm ad eam vnica responsione, ac si vnica esset, respondetur. Primò ergo fallax interrogatio præcedit. hanc responsio non cauta sequitur, qua ad duo respondetur, ac si vnicum esset. hinc captio fit, hoc modo: Est ne hic & hic homo? responsio, est homo. respondendum autem erat cautè, hic est homo, & hic alius est homo. Ex illa igitur minus circumspecta responsione captio fit:

Hic & hic est homo:
Hic & hic percussus est: igitur
Homo percussus est, non homines.

Latet in primis gemina interrogatio, si de toto aliquo, & è duobus contrariis confuso, vtrunque contrarium vna interrogatione rogetur, veluti de toto cœtu Eucharistiam accedente, Sunt ne hi verè credentes an hypocritæ?

DE RATIONE SOLVENDI SOPHISTICOS ELENCHOS.

CAP. vltimum.

Diluuntur Sophisticæ Captiones in-

ficiatione consecutionis, & monstrata causa inficiationis.

Omnis Elenchus & Syllogismus Sophisticus, in materia peccat: quia materia, siue medio, eoque propositionibus Sophisticus constat: sed alius in materia duntaxat peccat, alius in materia & forma simul. Siue autem in vtraque simul, siue in altera duntaxat peccet, semper neganda est consecutio, monstrandusque dolus. Vt verò planior res sit, generatim aliquid de respondendi ratione dicamus.

Examinaturo Syllogismum, eumque vel prolatum, vel scriptum, primò omnium Figura curæ sit, an præceptum aliquod, ad Figuras vel vniuerse, vel speciatim, attinens, violetur, hoc est, an plus, quàm oporteat, concludatur, an maior in prima mediave Figura in parte sit, an puræ in Media affirmantes, & quæ sunt huius generis alia. Si hoc sit, consecutio negatur, & causa adfertur, præceptum violatum.

Quòd si hæc integra sint, proximo loco videndum est, an ad Locum aliquem Sophisticum Syllogismus congruat. Si congruit, itidem consecutionis inficiatione reiicitur, & fallacia detegitur.

Quòd si non congruit, quod crebrius & tum fit, cùm medium Sophisticum non est, Consequentia non reprehenditur: sed vel vtraque, vel alterutra, propositio, negatur: vel alterutra distingui-

stinguitur (nunquam enim ambæ simul distinguuntur) vel certè conclusio conceditur, sed limitata, si hoc vel illo, modo intelligatur. Cùm enim Syllogismus neque Sophisma est, nec in forma peccat, & nihilosecius falsam conclusionem efficit, vel alterutram, aut etiam vtramque, propositionem, falsam habet, vel maius aut minus extremum ambiguum. Illud si sit, simplici negatione respondetur: si hoc, distinctio adhibetur, vel certè conclusio conceditur, eo, quo diximus, modo. Exempla paßim suppeditant.

Finis Institutionis.

ERRATA.

Pagina 3.linea 16.lege, veræ, p.5.l 17. externum p.7. l.1.coniunctim p.8.l.8. Petro p. 14 l.3.calet.l.7.est p.22. l.10. dici, p.56.l.17. particularem p.64.l.11.sit p.77.l.9. Syllogismis.

bort

Prohibitus